First Edition

Faust ([illegible]) 1-5
[illegible]

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/lvsvsserivsquohe00maie

LVSVS SERIVS,

QUO

HERMES ſive MERCVRIVS

REX

MUNDANORUM OMNIUM SUB HOMINE EXISTENTIUM,

poſt longam diſceptationem in Concilio OCTOVIRALI habitam, homine rationali arbitro, judicatus & conſtitutus eſt.

AVTHORE

MICHAELE MAJERO Com. Pal. Med. D.

HORAT.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.



OPPENHEIMII

Ex Chalcographia HIERONYMI GALLERI,

Sumptibus LUCÆ JENNIS *Bibliop.* 1616.

DOUBLETTE DER STADTBIBLIOTHEK ZU BRESLAU.
Rhedigersche Stadt-Bibliothek zu Breslau.

CLARISSIMIS, POLITISSIMIS, EXCELLENTISSIMISQUE VIRIS:

DN. FRANCISCO ANTONIO, Londin. Anglo, Seniori.

DN. JACOBO MOSANO Illuſtriſs. MAURITII Haſſiæ Landgravii, Archiatro digniori.

DN. CHRISTIANO RUMPHIO Electorali Palatino ad Rhenum Med. ordinario circumſpecto.

Singulis Medicinæ Doctoribus ſagaciſſimis, Chymicis expertiſſimis & amicis meis jucundiſſimis, tanquam trino Charitum vinculo, doctrinæ rarioris ſcrinio & humanitatis ſingularis ſacello,

D. D. D.

MICHAEL MAJERUS *Med. D. C. Pal.*

VIRI, Virtute, Doctrinâ veraq; animi Nobilitate longè conſpicui, cum uſu receptum ſit inter verè amicos, ut alter alteri donaria, etiam quoad precium exigua, uti ſunt poma, nuces, aliáve eſculenta, potulenta

ſeu utenſilia, non tàm propter ſe, ſuámve dignitatem, quàm grati animi, nullo loci vel temporis ſpacio interrupti, ſignificationem, mittat & ab invicem recipiat, hinc non dubitavi, vobis nonnihil ex vernis meis, & quaſi raptim éx ingenii luſu (dum in Anglia aliquándo in hujuſmodi mentem poſt ſeria chymica inciderem) natum & productum, non quidem inſtar Minervæ (Phidiæ) ex Jovis cerebro proſilientis, ſed potius Hebes (quam Juventutem Latini appellant, quaſi jucunditati præfectam & Jovi à poculis) ex Junonis citta, pica ſeu malacia, hoc eſt, eſu lactucæ agreſtis, cum ab Apolline convivio accepta eſſet, abſque ullo cum mare concubitu, monſtroſè editæ, mittere & offerre; quod ſcriptionis genus, ſi ſeriis indulgens ſtudiis, ut ludibundum, ſi animi recreationi, ut non minus ſerium, pro Veſtro in me amore, meóque in Vos candore mutuo, recipiatis, etiam atque etiam rogo: Nec verò velim, ut tam doni precium, quod quia chartaceum, vile eſt nimis, quàm donantis animum, qui vobis nunquam non addictus, reſpiciatis & veluti nuces aut poma, ab amica manu profecta, æſtimetis: Interim quomodocunque ſit, me vobis Regem & precioſiſſima ferè mundi omnia dedicaſſe

dicaſſe & obtuliſſe, ſi non quoad formam, tamen materiam, agnoſcetis, méque inter Veſtri amantiſſimos, ut hactenus (quod ego viciſſim) numerabitis. Valete, dabam Francofurti ad Mœnum, ipſo ex Anglia reditu, Pragam abituriens; Anno 1616. Menſe Septembri.

SUMMA LIBRI
Hexaſtico expreſſa.

ANſer, Apis, Vitulus, Bombyx, Ovis, Oſtrea, Li-
Mercurius, ſervant totius orbis opes. (num,
Ne nimium ſtudeas his tot parère magiſtis,
Quiſquis amas altæ vim rationis homo.
Cætera vana putes, uni ſervire DEO, *ſit*
Cura, habet Hermetis poſt Medicina locum.

LVSVS SERIVS.
QVO
*H*ERMES SIVE *M*ERCURIUS
REX
MUNDANORUM OMNIUM, &c. judicatus & conſtitutus.

CUm jam ſæpè in magno hujus mundi Amphitheatro acriter diſceptatum eſſet, cui ex omni numero præſentium primi honoris ſubſellium deberetur, ac propter immenſam perſonarum rerumq́ diverſitatem & multitudinem, ſumma tanti negotii in varias & innumeras ſententias divideretur, ſic ut quot capita, tot ſenſus revera apparerent, communi conſilio tandem concluſum eſt, ut ex omni tribu rerum mundanarum delectus inſtitueretur, hoc modo, ut ex quadrupedum genere (quia hoc ampliſſimum) ad ſummum bina, ex avibus, piſcibus, inſectis, reptilibus, vegetabilibus & mineralibus ſingulis ſingula, omnium conſenſu deligerentur, & ad comitia proxima mitterentur, ubi coram HOMINE, *tanquam ſapientiſſimo omnium arbitro, ex octonis illis Rex ſalutandus foret. Melius enim & rationi*

magis

magis conforme putabatur, Optimates pauciores ex unaquaque Tribu ſeu gente electos, electores unius, ſubdelegata totius populi poteſtate, conſtituere, quàm tantam turbam (quæ belua multorum capitum & confuſionis cauſa eſt) iterum convocare, eiq́; ad diſſenſionem nec non civile bellum occaſionem præbere. Poſt diſquiſitiones autem diutinas in unaquaque claſſe orbis terreni privatim habitas, OCTO-VIRI *ſelecti producuntur, nempe, ut prædictum, ex prima Vitulus & Ovis, ex ſecunda Anſer, ex tertia Oſtrea, ex quarta Apis, ex quinta Bombyx, ex ſexta Linum, & ex ſeptima* MERCURIUS: *Hi omnes convenêre & ad hominem* JUDICEM *deſignatum unanimiter, ut tantos* HEROAS, *candidatos Regiæ dignitatis, decuit, iter ſuum direxerunt. Erat autem is omni veſtium apparatu inſtructiſſimus: Thorax & Caligæ ex veluto precioſiſſimo coloris nigerrimi, undiquaque aureis filamentis interdiſtinctæ: Pallium ex panno ſubtiliſſimo ejuſdem coloris; ſic pileus ex eadem materia unionibus in cinguli modum decoratiſſimus; Collarium ex linteis tenuiſſimis albiſſimíſque: Torques ex auro artificioſiſſimum collum cingens: At ne reliqua nimis curioſè deſcribam quicquid hominem maximè decoratum & ſplendidum reddere poſſet, ipſi non defuit: Adhæc ingenium humanioribus literis, omniúmque ſcientiarum cultu erudierat, quod maximè Judicem tantæ cauſæ decebat. Ad hunc fortè ſub Dio conſidentem collo herboſo, floribusq́; conſito, ſubdelegati jam dicti accedunt, eíque deſiderii ſui ſummam, Vitulo perorante, exponunt in hunc modum:*

VITULUS.

Propoſitio omnium nomine.

QUOTQUOT huc advenimus, Homo diſcretiſſime, tui arbitrii calculum expectamus: Quocirca ne ſuccenſeas nobis, quod tam inoportuna fortè interpellatione

pellatione te moleſtemus: Rem breviter, modò audias, ut ſe habet, narrabo: Jampridem inter nos totius orbis incolas, hoc eſt, tam animalium & vegetabilium, quàm mineralium ordines, graviſſima lis exorta eſt, cui ex nobis poſt hominem palma præeminentiæ daretur: Unde cum Senatus Populuſque Univerſi in diverſiſſimas opiniones ſibi invicem contrarias, quæ nulla ratione componi poſſent, diſcinderentur, nobis tandem ex omnibus ſelectis & mandataria poteſtate inſtructis, id negotii dederunt, ut ad te, tanquam Rationalem omnium noſtrum Dominatorem contenderemus, tibíque rem omnem declararemus, quo unum ex noſtro medio, digniſſimum meritis & officiis erga genus humanum, omnium regem pronunciares, in quo honeſtiſſimo propoſito, non diffidimus, quin poſtquam omnes nos ordine audiveris, deſiderio noſtro lubens ſatisfacturus ſis: ſumus nos omnes viciſſim tibi tuoque generi nunquam non ſubjectiſſimi & morigeri.

Reſponſio Arbitri hominis:

Ad hæc cùm annuiſſet homo, geſtúque & vultu ſatis humanum ſe declaraſſet, quin, *inquit*, adferte, ſi quid habetis: Hoc enim die me à ſtudiis ſerioribus vacuum ſciatis, quem totum, ſi veſtris commodis & quieti conſulere potero, hujus cauſæ cognitioni daturus ſum: Dicatis autem eodem ordine, quo antehac inceſſiſtis, tuque Vitule, ſis prior; te ſequatur Ovis, hanc Anſer, hunc Oſtrea, hanc Apis, poſt Bombyx, mox Linum; denique Mercurius, unus poſt alium, abſque ulla interruptione aut lite, alteriúſve calumniis, perorato: Quæ lex ſemel in initio dicta toto hoc diſcurſu obſervanda erit; *Quibus reſponſis, ad audiendum ſe compoſuit: Et mox* VITULUS *ſic incipit:*

Vituli oratio: Ad te acceſſimus, HOMO diſpenſator omnium, ut ex nobis regem eligas, non formoſiſſimum aut nitidiſſimum colore, nec celerrimum motu corporis, ſed talem, qui meritis & utilitatibus erga homines maximè excellat: quod ſi conſideraveris, meo generi inprìmis id convenire præ reliquis omnibus animadvertes. Conſiſtunt autem hæc merita, partim in laboribus, quibus vivi humanum genus juvamus, partim in iis, quæ à nobis deſumuntur adhuc viventibus; partim mortuis: in quibus ternis, tanquam certis limitibus, oratio mea verſabitur, nec citra ultráve egredietur unquam: LABORES, quos hominum gratia nos perferimus, ſunt immenſi, nec ulli animalium ex præſentibus tolerabiles: de cæteris enim hîc mihi non eſt ſermo, cum regis electio tantum ex præſentibus, & non abſentibus quibuſcunque, fieri debeat: Inprimis homini inſervimus in agrorum cultu, qui abſque nobis vix unquam bene perficitur: Fateor, quod non multum ad alia admittimur, niſi tractionem aratri & currûs: ſed hæc negotia ſunt adeo neceſſaria, ut omnibus aliis longè antecellant. Nam ſi agri non ſubverterentur aratris, jugo noſtrarum cervicum attractis, fruges iis inſeminari nō poſſent, quibus non ſeminatis, unde homo viveret? An iterum ad glandes arborum rediret? An verò ſolis pomis, nucibus & herbis vitam produceret? Neutrum opinor ipſi convenire. Quanta itaque neceſſitas eſt panis, tanta & bovis: Tolle hunc de mundo, nec agricultura procedet, nec fruges ullæ provenient. Imò unde potus in Septentrionalibus hiſce locis, niſi hordeum & triticum? Unde hæc ſi non ex agris? Ne quid de variis leguminibus & frugibus aliis dicam, quæ non abſque agricolatore in agris naſcuntur, veluti ſunt ſiligo, ſpelta, avena, oryza,

Vituli vel Bovis 1. Labores:

piſa

piſa, fabæ, viciæ, lentes & ejuſmodi ſimilia: Hæc omnia agriculturæ opera ſunt, ejusque operatores, poſt hominem, præcipui boves. Prætérea Curruum quanta ſit neceſſitas, quibus jungimur in Italia (quæ Timæo & Varrone teſtibus à bove nomen accepit, cum tauri Græcâ veteri linguâ Itali vocati ſint, quorum multitudine & pulchritudine ea regio olim prævaluit) & aliis multis locis, dici non poteſt, in vehendis ponderibus in agros, in urbem ac inde rurſus domum: Atque hæc graviſſima ſervitiâ hominum gratiâ ſubimus, qualia nullum animal ex hoc cœtu, ne milleſima parte præſtare poterit: Ob hanc commoditatem Ægyptii antiquiſſimi bovem maximis honoribus & divino cultu affecerunt, quod ſine ejus adjumento hominis vita non admodum jucunda futura eſſet: Apis enim bos apud illos in maximo Vulcani tẽplo ſacer alebatur, cui aurea cubilia & ornatiſſimæ cellæ fuerunt: Poſt mortem autem Serapis dictus in ſumptuoſiſſimum ſepulchrum inferebatur, proque Numine gentilitio habebatur: Bos, *inquiunt ipſi homines, ruſticarum rerum ſcriptores*, in re pecuaria primam habet authoritatem: Eſt enim ſocius hominum in ruſtico opere & Cereris miniſter: Propterea olim cautum fuit lege, ne quis bovem occideret: Et fuit hoc animal tantæ curæ apud Romanos, ut in exilium pulſus ſit, qui bovem occiderat ad comedendum: Nec id mirum; Cum bos dictus ſit ἀπὸ τοῦ βόσκω, quod eſt, *paſco*, quia homines paſcat laboribus ſuis, de quibus hactenus: Nunc conſideremus ea, quæ à nobis deſumuntur viventibus; eaque ſunt fimus & lac: Fimus, res quidem nihili videtur, at arvorum cibus eſt & lætamen agrorum, ſine quo triſtitia illis accidit: Ab hoc Saturnus Deorum quaſi proavus, Stercurius dictus eſt, tanquam

2. *Deſumta à viventibus: Fimus.*

 hono-

honorario quodam cognomento, quod primus ſtercorandi agri rationem invenerit. Boum ſtercori evehendo, eoque ſtabulis Augeæ, Solis filii, expurgando Hercules Heroum maximus adhibebatur; quæ ſanè res, niſi fuiſſet magni momenti, non Jovis filium requiſiviſſet talem & tantum, qualis & quantus fuit Hercules. Nec ſolum agris pro nutrimento eſt noſter fimus, ſed & homini pro medicamento, & pro fomite ignis, vice lignorum: Multis enim malis exteriùs applicatur, utpote podagræ, chiragræ & cuicunque arthritidis ſpeciei ex cauſa calida, velut & aqua inde Menſe Majo deſtillata, quæ omnium florum dicitur; quod nomen nulli vel pretioſiſſimæ in Apothecis proſtanti medicinæ alteri convenit: imò tumoribus quibuſcunque duris reſolvendis & ipſi hydropiſi ad extrahendum aquas bubulus fimus ſaluberrimè adhibetur: Ne quid de uſu intra corpus adjiciam, ut in icteritia & aliis affectibus ejuſmodi; Nec eſt, quod fœtor reformidetur, cum ille ſit tollerabilis & in hortis redolentes herbas & flores quoſcunque medicinales & ad ſuavitatem ſpectantes reficiat & nubiat: Lignorum inopiam quomodo apud quoſdam populos in fovendis ignibus, & coquendis cibariis excuſet, vicemque præſtet, noverunt illi, qui hoc ipſo uſu obſerva-

Lac. runt. De lacte & lacticiniis, vereor, ne ſatis pro dignitate eloqui poſſim: Quid lacte ad œconomiam utilius? ad quid vitam humanam accommodatius? quid ſanis & multis ægris jucundius & ſalubrius? Ex lacte bubulo fit butyrum, caſeus & ſerum, tres ſubſtantiæ diverſæ ex una naturali compoſitione; quarum ſingularum tantus eſt uſus apud homines, ut menſa illa exucca ſit, quæ iis omnino careat: Imò hæc tellus verè pinguis dicitur quoque in Sacris, quæ lacte fluit & abundet, magis

quàm

quàm melle: cum mel quoq; incultis locis ſæpe habeatur, ubi lactis abundantia eſſe nõ poſſit. Quot hominum myriades vivunt potiſſimum ex lacte vaccino? Quot ex caſeo? Quantæ divitiæ his ſolis multis regionibus quotannis accedunt? Ex quibus patet, nõ ſolum panem, potum, ſed & butyrum, caſeum & lacticinia omnia à bubulo genere dependere, hæc immediate, illa mediate; atq; ita hominem vitæ ſuæ potiſſima ſolatia & nutrimẽta bobus accepta referre. Quod magis fit conſpicuum, ſi ea commoda, quæ poſt vitam noſtram hominibus conferimus, accumulemus. Præſtamus autem ipſis utilitatem longè uberrimam carnibus, inteſtinis, pinguedine, oſſibus, cornibus, cute, veſica, pilis & multis aliis, quæ negligimus: Carnibus, dum quotidie paſcimus eorum ventrem famelicum, gulæque ad delicias inſervimus: Teſtes erunt mihi illi populi, qui in eduliis nobis facilè primas dant, noſtrasq; carnes tam avidè vorant, quàm famelici panem, putantq; nil jucundius unquam, quàm latranti ſtomacho aſſam bubulam objicere: Ex inteſtinis non minus grata edulia, farcimina & alia fiunt: Pinguedo verò, præterquam quod pinguia fercula & artocreas faciat, candelas homini & lucem nocturno tempore ſuppeditat, quæ, quanta ſit utilitas, vix æſtimari poteſt: Quem enim uſum de die Sol ſuo lumine mundo univerſo præbet, hunc pinguedo noſtra incenſa in privatis locis & cameris, de nocte, in abſentia Solis ſupplet. Oſſa & cornua, veſica & pili habent & ſuas utilitates: Multa enim ex illis utenſilia fiunt, quæ ſunt tanti numeri & varietatis, ut hac anguſtia temporis ſingula exprimi nequeant; veſicis verò vaſa clauduntur, ne aër ingrediatur, aut contentum intus emittatur: Pilis & ſuus ad lutum aliasque res uſus eſt: At cutim carni detractam,

3. Deſumta mortuis. *Carnes.* *Inteſtina.* *Pinguedo.* *Oſſa.* *Cornua.* *Veſica.* *Pili.* *Cutis.*

piliſq; nudatam propter inſigniores utilitates præterire nequeo, ſed inter præcipua inſtrumenta hominibus ſervientia numerare: Propter quam ſolam noſtro generi corona regia, non conſideratis etiam hactenus dictis, imponi deberet. Eſt autem hæc duarum ſpecierum; nempe adultorum ſeu boum, & vitulorum: Adultorum, calceis, ocreis & prægnantibus follibus adhibetur; Item equorum ornamentis & innumeris aliis uſibus: Calcei quam ſint neceſſarii, non eget demonſtratione ulla: Imò nullus eſt hominum, qui his non opus habeat, ſi modo ſit civilis & honeſti ordinis: Reliquorum quoq; inſtrumentorum uſus eſt omnino frequens: At vitulorum cutis duas inprimis utilitates magnas habet (minutas enim non moror) toti mundo ſalutares: Prima eſt, quod inſerviat Marti ſeu Martialibus tympanis, quorum uſus eſt in bellis: Altera, quod addicetur arti, hoc eſt, quod libri, bullæ, literæ & ſcedæ inde conficiantur, quibus artes & ſcientię conſervantur & ad perpetuum hominum memoriam ad poſteros propagantur. Si igitur mundus regitur his artibus, pelli vitulinæ inſcriptis, quis non videt, quaſi teſtamenti hæreditario jure hinc ab antiquis ſeculis vitulino generi imperium mundanorum omnium eſſe præſcriptum & relictum? Annon hæc eſt hominum communis memoria, quæ conſervat acta & res geſtas ab ætate ad ætatem, & nobis quaſi in manum confert tam ſacra, quam prophana, tam vetera quam nova? Hæc jura omnia in ſe involuta & exarata tenet: Ideo Regibus, Principibus & Magnatibus omnibus, ut regant ſibi ſubditos, inprimis adminiculo eſt: Hæc Clericos in templis & Eccleſiis cantantes conjungit, iiſq; Pſalmos & cantus miniſtrat: Hæc materiam magnis Bibliothecis, quæ ſunt theſaurus temporum,

porum, præſtat. In ſumma, omnia arcana Secretariorum, omnia veracia notariorum, omnia ſalubria Medicorum noſtræ pelli concreduntur: Et libri inde concinnati fidi conſiliarii & muti magiſtri appellantur; quia blandiri nequeunt majoribus, & licet taciti ſint; docent, licet mortui, doctrinam ſpirant, & licet muti, loquuntur. Tantum pro meo genere dixiſſe ſufficiat: Non dubito, quin Dominus Arbiter omnia mea dicta ab initio ad finem ruminando, mihi, poſtquam & cæteri peroraverint, Regiam dignitatem præ aliis adjudicaturus ſit.

O V I S.

OVIS *ubi in ſe omnium oculos conjectos tam Arbitri, quam adſtantium animadvertit*; Nunc, *inquit*, me ordo ad dicendum vocat, quam natura omnium quadrupedum manſuetiſſimam produxit; qua virtute, niſi regnum obtinuero, nulla procacitate vel audacia id ambire licebit. Tyrannos equidem lupos communi vocabulo appellamus, idque non injuria, ſiquidem omnem feritatem in ſubditos exerceant inſtar ferarum ignobilium, quæ nobis maximè ſunt exoſæ; quod ſi verum eſt, abſque dubio ex contrariorum doctrina, Ovis regem manſuetum, qualis ab omnibus optatur, deſignat. At ſi ſaltem plurima in hominem merita Regiam dignitatem alicui collatura ſint, quemadmodum ex prædictis patet, nullum animal erga hominem, dum vivit, beneficentius, dum obiit, fructuoſius ove habetur, in quibus duobus meæ orationis diſquiſitio conſiſtet. Ex ovibus inprimis lana, lac & fimus in uſum hominum veniunt. Lac autem tantæ utilitatis eſt, ut vix quicquam ea utilius:

Ovis virtus propria.

1. Ex ove vivente:

Lana.

lius: Nos exuimur veſte, qua homo induitur, qua in re charitatem humano generi maximè præſtamus: Quid miſericordius, quàm dare alteri id, quod noſtrum eſt, quàm ſubvenire nudo amictibus, & contra hyemis æſtusque injurias egenti conferre opem? Non quidem vi quadam à nolentibus nobis lana reſecatur, ſed annuentibus & ſpontaneis; quod inde apparet, quod vix vocem tondendæ edamus ullam paſtoribus: Inde non ſpolium eſt, ſed donum, non præda, ſed præmium lana ovilla homini, qui ea ad nutum utitur: Partim illam variis coloribus imbutã, partim ita rudem ad diverſa opificia applicat: Reſpice hominem à vertice ad talos, & videbis eum noſtris exuviis omni ex parte indutum & ornatum: Pileum ſi cernas, libertatis antiquitus ſignum, ex lana conglomeratum & contextum animadvertes: Tunicam, togam, pallium, imò & tibialia ſi contempleris, hæc omnia tegumenta laneæ materiæ plerunque reperies: Totum equidem hominem noſtris donis circumtectum & munitum invenies, unde nobis maximè obſtrictus eſſe deberet, & pro nobis arbitrium ferre: Nos illi in bona noſtra poſſeſſionem dedimus, utinam & ille pro nobis ſententiam diceret: An nullus charitatis in eo mutuus eſt affectus, quo illum proſequimur? An nulla benevolentiæ noſtræ in eum memoria remanet? Noſtrum equidem genus nulli animalium injuriam aut noxam infert: Gramen & myrica abjecti precii nobis alimentum eſt, nihilominus paſtorem noſtrum multis *Lac.* beamus beneficiis: De lacte gloriari poſſem, quod hoc pinguius, dulcius & utilius eſſet homini, quàm multorum aliorum animalium, at prohibet me mea verecundia: Hoc ſalitum & bullitum craſſeſcit in optimum & gratiſſimum ciborum condimentum. Caſeus quoque inde

inde præpinguis ſit,qui multis populis in deliciis habetur. De fimo nemo dubitat,illum agris eſſe acceptiſſimum lætamen, quod agricolæ & paſtores bene noverunt, ideoque ſepes noſtras per agros ſucceſſivè diſponunt, donec ab omni parte ſatis fimi acceperint: In ſtabulis, ubi concludimur, fundus ſubterraneus ſale nitri perfunditur,nempe ex noſtri corporis urinali lixivio,ex quo horrendus ille pulvis, pyrius dictus, abundè conficitur, qui mœnia & caſtella ſua vi disjicit & deſtruit,ſi tormentis bellicis cum globis ferreis inſeratur & incendio diſplodatur: Fimus quoque noſter & ſal jam dictus inde confectus,in multis morbis medicamentum ſalubre exiſtit, utpote interius in icteritia & ſimilibus obſtructionibus; exterius in ambuſtis cum aliis emplaſtratur: Tantum boni ex viventibus: Ex mortuis; En agni annuatim hominibus in epulas conferuntur, ac tandem nos ipſæ: quamvis illius Romani Imperatoris dictum magis laudarem, qui inquit; *Eſt boni paſtoris tondere pecus, non deglubere*; Nihilominus rapimur omnes ad gulam, & quas non ſcabioſa lues prævertit, ferrum conficit: Patientiæ quoque in ipſa morte ſingulare ſpecimen præbemus, dū nec mactanti reſiſtimus,ſed jugulū volentes porrigimus: Carnibus & pinguedine mēſas reficimus vario cibariorum genere hinc inſtructiſſimas: Pellem pellionibus ſuggerimus,qui inde muliebres veſtes aut etiam civiles præparunt: Quod ſi lana inde reſciſſa fuerit,ad varios uſus hæc diſtribuitur, & cutis nudata pilis ad non pauciores: Præcipuè ad membranas librorum & ſcedarum; Qui uſus mihi cum vitulo communis eſt: Unde quam ille hinc ſibi laudem ſperat, eandem mihi, & longè majorem adſciſco, quippe, quæ non ad bellicos tumultus cauſam (ut ille) præbeo, dum tym-

Fimus.

2. Ex ove mactata.

Tiberii.

Carnes.

Pinguedo.

Pellis lanoſa.

Cutis ſeu membrana.

pana ex ejus pelle ſæpiſſimè fiant, non autem ex mea: Pro quo horrendo potius abuſu, quàm uſu, ex inteſtinis meis fiunt chordæ Muſicæ, quæ lætificant hominem magis, quàm tympani Martialis ſonitus. Homo autem magis ad Muſicam videtur compoſitus, quàm ad pugnam, cum ad hanc non peculiaribus armis inſtructus ſit, ut leones dentibus & unguibus, ita & lupi, urſi; equi calcibus, tauri cornibus; ſed nudus in mundum venerit, in quo illa nobis, atque nos illi valdè aſſimilamur: Ad Muſicam verò ſua quadam natura præ cæteris inclinat: Unde Plato; *qui non*, inquit, *lætatur harmoniâ, non eſt harmonicè compoſitus*: Ad Muſicam nos ipſi maximum adminiculum præbemus, in quo præcellimus aliis animalibus omnibus. Chordas enim teſtudini aliiſque inſtrumentis Muſicis, digito humano pulſatilibus, miniſtramus, atque ſic lætitiam, diverſis modis, Phrygio, Ionico, Dorio vel Lydio, illi cauſamur, affectuſque varios movemus; De chordis craſſioribus earumque abuſu nihil dicimus, quibus armamus arcus, & ſagittas propellimus in hoſtem, quo ſolo genere novimus gentem à gente victam, regnoque exutam, populoſiorem à minus populoſa, at nervo arcuum ſtringendo magis aſſueta: Earum ſunt & variæ utilitates in opificiis hominum, quas prætermimus: Unum autem omittere non poſſumus, quod eadẽ particula noſtri corporis lupum deterrimum generis humani è medio tollat, aut potius ejus catulos, ne mundus à tot lupis deſtruatur: Quæ verba, ſi ænigmatica nimis tibi viſa ſint, explicabo: Quis major lupus Turca? Hic ſuos fratres & interdum filios corda, ex inteſtinis ovilis facta, ſtrangulat, ut ſolus rerum potiatur. Si itaque ad me ipſam fiat reſpectus, videor excellere virtutibus homine digniſſimis, utpote manſuetudine, patien-

Inteſtina.

Ænigma.

tientia, innocentia vitæ, ſimplicitate; ſi ad officia, quæ confero humano generi, nec aliud mecum comparandum erit, cujuſcunque differentiæ aut proprietatis ſit.

ANSER.

VIx *Ovis orationem ſuam finierat, mox Anſer pinguiuſculus in hunc profatur modum:* Satis jam diu, Judex juſtiſſimè, percepimus quadrupedum relationes, quas etſi non vituperare audeam, tamen ne laudibus in cœlum evehere præſumam: ſunt enim tales, quæ ut laude ſua dignæ ſint, ſic laude digniori facilè cedere cogantur: Si genus ſpectetur in creando Rege, nullum noſtro æquari, multò minus præferri, poterit. Eſt enim hoc ſublime & aërium: Imò non ſolùm aërem noſtri dominii tractum aſſerimus, ſed & aquam & terram: Ubicunque in his Elementis vivimus, victus non denegatur; quod vix ulli animalium conceſſum eſt, ut tribus Elementis gaudeat, tanquam ternis mundi partibus. At ſi hæc non in conſiderationem veniant, & ſolummodo ſervitia & utilitates hominibus præſtitæ ad hanc Regiam ſublimitatem promoveant, illis enarrandis ſuperſedeo, & alia, quæ magis reſpiciantur, in medium adducturus ſum. De vita mea non multum prædicare poſſum, cum mihi potius vivere videar, quàm alteri; nihilominus quibuſdam in locis annuatim plumas de pectore erui mihi ad hominum uſus patior: Deinde & ovis, quibus iidem veſcuntur, pariendis & excludendis ſtudeo: Sunt quoque qui fimum meum medicinalem uſurpent ad morbos diverſos: At cum fatalis mihi hora inſtat circa Martinalia, aut aliàs, præcipua ex me homini utilitas expectatur: Carnes igni plærumque

Anſeris genus.

Tribus elementis gaudet.

1. Ab anſere vivo: Pluma.

Ova.

Fimus.

2. A mortuo:

Carnes.

adhibentur & aſſantur, ut ſic quarto quoque Elemento gaudeam; Inteſtina & partes extremæ ſanguine proprio cum aceto mixto bulliunt; atque ſic bina opipara fercula ex nobis fiunt ad hominum lætitiam comparata, quæ magni apud illos æſtimantur precii: Ex plumis mollioribus lectos, quibus indormiant homines, fieri permittimus; ut ſic bene paſti noſtris carnibus & viſceribus, bene quoque dormiant in noſtris exuviis: Atque hac ratione medium ferè tempus vitæ humanæ, dum dormitur, apud nos tranſigitur, de quo nemo aliàs gloriari poterit: Quid dicam de iis, quæ plumis & lectis accidant, cum ſint notoria, & toti mundo ſalutaria, qui per genus hominum continuatur, ne pereat. Pennarum ſeu plumarum aliæ variis coloribus imbuuntur, & varios nanciſcuntur uſus. Quædam autem adaptantur ſagittis, ut quod ipſæ ſua natura vel arte nequeant, acquirant noſtra virtute; Hæ bello inſerviunt: At reliquum pennarum earundem ſcriptionibus accommodum inſtrumentum, quo mundus gubernatur. Noſtrum genus in arce Tarpeja ſeu Capitolio hoſtes prodidit antiquitus, unde ſacrum ſemper habitum fuit & publicis ſumptibus nutritum, quippe quod vigilias & excubias nocturnas canibus certiores præſtet & ſervet. Unde ſervâſſe urbem Romam, Orbis dominatricem, abſque joco dicitur, quod quidem magnum præconium: At longè majus eſt, quod pennis ſuis omnes artes & ſcientias propagârit, conſervârit, & ab interitu immunes reddiderit: Fruſtra pellis vitulina vel ovilla præparatur ad ſcripturam, niſi noſtræ pennæ illis operam ſuam impenderent, quaſi ſaltando & in varios gyros eundo: Illæ membranæ ſunt patientes, pennæ noſtræ agentes; illæ ſunt ſubjecta, hæ cauſæ efficientes, quæ

Pluma.

Sagittæ plumatæ.

Pennæ ſcriptoriæ.

longè illis antecellunt: ſi anſer cum ove conſentiat, iis maxima animalia reſiſtere nequeunt; imo ipſe homo ſe doceri ab anſere patitur, dum legit veterum Sapientum manuſcripta: Ovis abſque anſere nullius eſt precii, hoc eſt, membrana abſque ſcriptura: At econtra anſer abſque ove cum vitulo vel lino contrahere amicitiam poteſt: Unde patet, noſtri generis poteſtatem eſſe primariam & præeminentiam tenere præ dictis omnibus. Levius certamen hoc nobis cum præſentibus ideo æſtimari debet, quòd antehac pennæ noſtræ palmam obtinuerunt præ multis aliis, nempe præ Martialibus illis & aquilinis pullis; In ſignum cujus victoriæ, adhuc plumæ ſeu pennæ pileis accommodantur: Hinc Poëta: *Penna beat cælo, penna volare facit.* Quid igitur aliud, quàm palmam, regiúmve nomen ab his, nullo modo cum iſtis comparandis, reportare poterimus? Per nos noſtrasque pennas Imperator imperat Regibus & Principibus: Unde non immeritò ab illo dicitur; *Oportere Imperatoriam Majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed & legibus armatam eſſe*; quæ leges cùm ſcriptæ ſint, pennarum noſtrarum beneficio extant, & Imperatoribus ſerviunt: Per noſtras pennas Reges, Principes & Duces ſuas ditiones adminiſtrant: Fac nullos eſſe aut fuiſſe libros manuſcriptos, ergo nec literæ, nec leges, nec hiſtoriæ ullæ, nec ars medica, nec aliæ ſcientiæ aut artes eſſent memoriæ mandatæ, ac vita humana à beluina parum differret: nihil magis ſcirent omnes, quàm pueri ignari in loco quodam incluſi, unde nunquam egreſſi ſint: At nunc illi, qui ſunt prudentes, docti & experti in bonis literis aut artibus, tales pennarum munere evaſerunt: Hi regunt mundum ſuâ doctrinâ, politiâ & ſcientiâ, quæ pennis propagatæ ſunt; & alii pennarum nullum

uſum ſcientes, viliſſimæ conditionis habentur, & momenti haud magni. Pennæ divitias ſæpè alicui conciliant aliàs pauperi: pennæ divitibus ſunt ornamento & honori: Imò pennæ omnem fortunæ conditionem gratiorem reddunt. Pennæ enim literas humaniores omnes complectuntur, quæ antiquitus ſtylo notabantur, nunc pennis: Literis qui honos à Regibus habitus eſt, ille debetur quoque pennis, & illis, ex quibus hæ procedunt, nempe anſeribus. Unde concludimus, noſtrum honorem majorem eſſe, quàm ut repulſam à regio nomine pati poſſit: Duos ſaltem uſus pennarum leviores adjiciam, quorum unus eſt ad venationem, pro terriculamentis ferarum, pennis ſuſpenſis; alter in plectris Muſicis; ut & ſagittis, ut antea diximus: Jactet ovis chordas ſuas ad Muſicam utiles, & meæ pennæ cytharis & organis virginalibus non minus ſunt neceſſariæ: Jactent eadem chordas ſuas majuſculas ad nervos arcuum, en abſque meis pennis ſagittæ non pervenient ad metam: Prædicet quoque unà cum vitulo membranas ſuas ſcripturis inſervientes, en abſque meis pennis, quibus perſcribantur, erunt inutiles: Ut interim alias commoditates pennarum noſtrarum minutiores, utpote, quod hamis piſcium captandorum, aliiſve operibus mechanicis applicentur, prætereamus, hæc pro tempore peroraſſe, brevia quidem, at firmiſſima, ſufficiant, quæ nullum eſt dubium, quin mihi Monarchiam, te Arbitro, conciliabunt.

O S T R E A.

OSTREA, *quia quartum locum vice piſcium tenebat, non paſſa eſt eum ſibi ab alio præripi, ſed mox in hunc ſermonem*

nem

nem prorupit: Si magnitudine corporis, viribus, labore, ſagacitate & docilitate imperium inter animalia acquirendum ſit, non mihi ſpes ulla ſupereſt, quippe, quæ minuta abſque robore, nec quid cæterarum propriatum agnoſcam: Atque tum arbitror, nullum ex præſentibus eam dignitatem jure ſperare poſſe, cum ſint alia ex animalibus mirè in his excellentia, quæ nos magno intervallo poſt ſe relinquant: Verùm ſi nobilitas, ortus, utilitas homini collata & precioſitas ſpectetur, non video in hoc cœtu quenquam, qui mihi præferri poſſit. Nobilitas hinc apparet noſtra, quod in aquis Elemento omnium nobiliſſimo, nata & enutrita ſim, interque aquatilia animalia, quæ varietate & magnitudine terreſtria longè excedunt, primas jamdudum obtinuerim: Aquæ mihi domus ſunt, ex quibus omnia, etiam cœlum ipſum, facta leguntur in Sacris, nec ex his aliquis amnis exiguus, ſed Oceanus ille immenſus, Indicus aut Orientalis: In hoc, tanquam natali fundo & prædio, primam lucem vidimus. Si itaque ſplendor patriæ ad alicujus nobilitatem multum conferat, ex nobilioribus hac quoque ratione æſtimanda ſum: Sed hæc nota mihi cum cæteris aquatilibus communis videtur; quocirca eam non valde urgeo, & ad magis mihi propriam accedo, quæ eſt, Ortus, nataleſque mei, quibus omnia viventia longè antecello: Caſtitas noſtro generi innata videtur, quod non ſe propagat communi modo, ſed peculiari, nempe conceptione ex aſtris facta ſeu influentia: Arma nobis natura offenſiva non conceſſit, at defenſiva, eaque tutiſſima: Unde nos alteri non nocemus, nec injuriam ab altero illatam admittimus: In illis partibus, ubi cœlum æſtu, efficacius operatur, utpote in ſinuoſis flexibus Indici maris, à cœlo concipimus

Oſtrea nobilitas.

Ortus.

fœtum

fœtum precioſiſſimum in hunc modum: Ad ſuperficiem aquarum efferimur, apertisque clauſtris ſeu domunculis noſtris hiantes matutinum cœli rorem bibimus, quo deinde mirificè intra teſtas noſtras coagulato, prægnantes ſumus gemmis ſplendidiſſimis, quæ noſtro ſucco perfuſæ albeſcunt nitore gratiſſimo, & hominibus ſunt dona acceptiſſima, tum quoad medicinam, tum quoad ornatum eorum corporum: Margaritæ ab illis dictæ videntur, quod maris ſint progenies & uniones, quod quaſi ſingulæ proveniant, vel unæ precioſitatis palmam obtineant. Ad medicinam hæ conferunt, maximum cordis ſolatium & tutamen, cujus ſpiritus & humidum radicale maximopere reficiunt & reſtaurant: Nihil enim arbitrantur Medici accommodatius & jucundius perlatis, ut vocant, confectionibus Manus Chriſti: Habent quoque ſpecies diamargaritonis tam calidas, quàm frigidas ad diverſos morbos, in quibus virium refectio requiritur, utiliſſimas: Sunt, qui faciunt inde lac, oleum, liquorem, aquas & ſal ad eandem intentionem. Quid? quod ad uterum muliebrem, conceptionem juvandam & ſterilitatem prohibendam ipſæ margaritæ unà cum earum matricibus maximè conferant. Præter hæc, tres inſignes utilitates hominibus conferimus: Primò, ipſi veſcuntur noſtris ſubſtantiis, atque eas pro delitiis & cibis utiliſſimis habent; tum quia gratæ ſint palato, tum quia ſemen geniale in utroque ſexu adaugeant: Quæ illorum opinio abſque dubio certiſſima eſt: Atque hinc nos ſumus cauſa multorum, qui aliàs fortè non generati eſſent, hominum. Quæ utilitas humano generi præſtita tanta eſt, ut comparationem cum nulla alia admittat: Quantò enim vita hominis dignior eſt omnibus aliis commoditatibus,

Margaritæ.

Margaritarum uſus ad medicinam.

Eſus oſtrearum ad quid utilis.

tatibus, ei aliunde accidentibus, tantò & hæc utilitas illi collata: Teſtarum oſtrearum non minor eſt uſus in exornandis manubriis & inſtrumentis hominum diverſis, quæ recenſere omnia non eſt hujus loci: Reſpice ſaltem ad divitum conclavia, menſas & alia utenſilia, & videbis noſtrarum exuviarum innumera inſignia & ornamenta: Verùm ſi de ipſis margaritis dicendum, vereor, ne obſtupeſcere prius cogar, quàm illarum dignitatem & nobilitatem ſatis exprimam. Cleopatra illa Ægypti Regina inter ſuas divitias & theſauros Uniones quoſdam habuit, qui illo precio æſtimati ſunt, quo bis mille boves, aut multa jugera agrorum, imò inſula aliqua ſatis magna, emi poſſent: Illi aurum millies, imò centies millies & amplius ſuo valore exceſſerunt, ſi de æquali pondere hujus & illorum fiat comparatio: Unde nihil iis in toto orbe precioſius inventum eſt, nihil carius aut rarius, quos tamen dicta Regina uno hauſtu abſumpſit, cùm Antonium Romanum Imperatorem magnificentiſſimæ Cœnæ apparatu longè ſuperare contenderet: Unde Plinius, *Principium*, inquit, *culmenq́, omnium rerum pretii margaritæ tenent*. Si itaque illud, quod in nobis concipitur & generatur, omnium rerum orbis eſt precioſiſſimum, quid ni & nos nobiliſſimæ conditionis & Regiæ digntatis cenſebimur? Inhumanum eſſet & rationi adverſum, fœtum vel prolem cujuſdam in cœlum dignitatis præeminentia evehere, & parentem humi depreſſam negligere. Quod ſi nos nõ eſſemus, nec homines haberent, quod admirarentur & adeò precioſum æſtimarent. Nos itaque homini hujus doni authores & cauſæ ut habemur, ſic eodem frui aliiſque præferri deſideramus. Per nos Reginæ, Principum, Comitum, Baronum & Nobilium matronæ ſplendent

Teſtæ oſtrearum.

Margaritarum precioſitas.

Lib. 9. c. 35.

& emicant præ aliis fœminis. Per nos ipſi quoque Reges & Principes cæteriq́ue Nobilium ordines decorantur & ſuſpiciuntur. Undé per quos ipſi ſunt magnifici & ſplendidi, hos, ut illi viciſſim beent & præferant aliis, Talionis lex & beneficentia mutua ſuo jure poſtulat & requirit: Nos coronas Regias noſtris muneribus precioſiores reddimus, & radiis nitentibus illuſtramus. Nos ſceptra clariora ſplẽdore noſtro efficimus, & chlamides Regias noſtris donis turgentes & ſuperbas ſtatuimus. Unde ceu Regiam dignitatem in hominibus promovemus, ſic ab iis ad eandem dignitatem ſupra omnia infra hominem tamen, promoveri jure quodam poſcimus: quod denegari nobis non poterit, niſi illi, quorum nos non immemores in donando, noſtri fuerint haud memores in referendo beneficium: *quibus dictis, in ſuas teſtas ſe recondidit, & vocem abrupit.*

A P I S.

HUIC *ſucceſſit apicula, corpore quidem exiguum animalculum, ſed ſtrepitu & bombo admodum vocale, imò & ſpiculo timendum, ne ad iram laceſſatur aut irritetur; quæ hoc modo intonuit*: Adſum & ego; Homo arbiter, regni candidata, quàm tutè ad id facilè admittes, ad quod quaſi à natura dicata & promota ſum: Quod enim animal regem agnoſcit, præter hominem & apim? Quod magis politicum utroque? Nullum inter omnia: Ut itaque homo imperat nobis, ſic nos aliis animalibus & rebus: Noſtrum regnum humano ſubjectum eſt, homo manet Univerſi dominus, nos feudales ejus, quicquid habemus, illi acceptum referimus: Ille Deo ſervit, nos homini, nobis cætera omnia: Nihil eſt, quod regnum à nobis auferre poſſit, quod poſſidemus inter nos, & facilè ad

Homo & apis regem habent.

alia

alia propagare poſſumus, annuente homine: Nihil eſt noſtro genere ſublimius nobilitate & ortu, nihil celerius motu, violentius in hoſtes ſpiculo, beneficentius in amicos, Muſicâ celebrius, utilius in homines, imò in Deos, omnesque ſtatus & ordines, quod oratione noſtra facilè probabimus. De nobilitate & generoſitate apum nemo dubitabit, qui novit noſtram gentem abſque coitu aut Venereo complexu propagari cœleſti quadam indulgentia. Ex vermiculis enim in favo noſtrorum parentum generatis in apiculas acceptis alis, quaſi nobilitatione quadam, tranſimus. Unde nos in ipſorum ortu verè nobilitatis inſignia recipimus, atque ſic nobiles naſcimur. Nobilitantur enim illi, qui ad meliorem & digniorem ſtatum evehuntur à majori vel Rege vel Principe: At nos ab ipſa natura, quæ eſt Regina omnium, in ipſis cunabulis jacentes ſive favis, naturaliter nobilitamur, & ad aliam quaſi animalis ſpeciem provehimur. Differt enim vermis repens ab ape volante ſpecie & forma: & hæc longè nobilior illo eſt. Caſta itaque noſtra propagatio eſt, & pudiciſſimum noſtrum genus; quæ non eſt minima commendatio Regis. Quid Alexandrum Magnum & Scipionem illum bellatorem fortiſſimum magis gratum aliis præſtitit, & omni poſteritati commendatos reliquit, quàm caſtitas? Non tam violenta vis in armis poſita, quam hæc virtus homine digniſſima eſt, cum & belluæ aliquando victoriam obtinere poſſint, virtutem autem, huic parem non exercere. Si quoque celeritati ſua laus ſit, eaque Regem maximè deceat, hoſtibus horrendum præſtet, nullum animal nobis celerius, ſi per aërem via quærenda ſit. Alexander ille jam nominatus & Julius Cæſar, mira celeritate uſi, totum ferè mundum ſibi ſubjecerunt, quod abſque du-

Nobilitas apum.

Caſtitas apum.

Celeritas.

bio non feciſſent, ſi contatores & moroſi duces bellorum fuiſſent: Unde ille interrogatus, quomodo tam brevi temporis ſpacio tot Regna ſubjugaſſet, reſpondit; Μήδεν ἀναβαλλόμενος, *nihil procraſtinando.* Hic autem breviſſimo tempore pugnans contra Pompejanos in tribus partibus orbis ſemper victor evaſit, celeritate præveniens hoſtium conatus. Imò & nos inimicis noſtris arma promptiſſima inferimus, at non niſi laceſſitæ injurioſis. Ad hunc uſum nobis vindictæ tela miniſtravit natura, quibus fucos, muſcas & inſecta alia fugare facilè poſſumus. *Qui enim,* ut vulgò dicitur, *injuriam unam tolerat, aliam invitat: Et faciles motus mens generoſa capit.* Lentæ quidem ſumus ad iram, at provocatæ hoſtibus horribiliores, quàm expectaſſent à tantillo animalculo: *Magna etenim eſt nobis in parvo corpore virtus,* ut Tydeo illi puſillo mole corporea, ſed mente gigantea. Virtus enim compreſſa fit fortior, & majores impetus adverſariis infert. Nihilominus nulli primæ injuriam facimus elatæ potentia & armis majores, alveariorum noſtrorum prædones non injuria inceſſimus & fatigamus, quippe qui noſtra dona & alimenta unà cum vita appetant. Muſicis tintinnabulis tamen facilè furias remittimus, quemadmodum & magni bellatores ab armis ad quietem Muſicis modis deliniti ſcribuntur. Muſica itaque ſumus animalia, & in hoc hominis non diſſimilia. nullum autem animal mihi jactet ſuas exuvias ad Muſicam vel organa eius aptas, cum nos ipſæ ſimus Muſicales, perpetuo bombo operi noſtro vacantes & tinnitu ab aliis excitato acquieſcentes: *Hîc Rhodus, hîc ſalta: Nam quæ non fecimus ipſæ, Vix ea noſtra reor.* Nos ipſæ vivæ canimus, & non veluti mutæ poſt obitum ab aliis pulſamur, ut ovis & anſer de ſeſe gloriabantur. Nos damus vocem,

Ad ulciſcendum promptitudo.

Innocentia.

Muſi. & amor.

&

& accipimus gratiſſimam. Indicium utrobique eſt penes nos ipſas, non alios. At nunc de utilitate noſtra in homines pauca dicemus, quæ ſola videtur regnum alicui tribuere. Hæc equidem immenſa ex nobis, quæ in duabus rebus conſiſtit, melle & cera: Melle quid dulcius, quid gratius, quid ſalubrius homini? Unde quidam ſenex, at validus pro ætatis ratione, interrogatus, quo medio ad tam maturam ſenectam perveniſſet, *melle*, inquit, *intra corpus, & oleo extra utendo*: Mel itaque ad longævitatem hominis & ſanitatem conſervandam maximè utile eſt, gratiſſimum pueris, acceptum fœminis, ſalubre ſenibus: Ex hoc multæ gentes potum, vini æmulum, imò ægris multis accommodatiorem, conficiunt, quo in morbis frigidioribus, cui illæ ad ſeptentrionem obnoxiæ, utiliſſimè utuntur; hydromel id genus vocant, ex aqua & melle compoſitum; quemadmodum & œnomeli ex lino & melle concinnatum: De melle noſtroque genere fortiſſimus ille heros Samſon ænigma cognitione digniſſimum propoſuit, ut in Sacris legitur: De mellificio & apum cultu Virgilius aliíque ſcriptores volumina hominibus reliquerunt, quæ niſi apes eſſent utiliſſimæ, non tanto labore peracta extarent. In medicina inſuper mel varios uſus præſtat præter jam dictas potiones, in conſervandis & condiendis ſimplicium viribus, ut roſis & aliis innumeris. Etſi autem bilioſis & picrocholis non ita conveniat, propter illorum naturæ corruptionem, tamen phlegmaticis & melancholicis optimum medicamentum eſt in mixtura aliorum. Tantum de melle, de quo ejusque uſu vel totum diem diſſerendo abſumere poſſem, niſi brevitati ſtudendum ſcirem. Sequitur de cera: quæ inſignes tres utilitates homini confert: Prima eſt, quod candelæ ce-

Utilitas apum.

Mel.

Cera.

1. *Utilitas.*

reæ inde conficiantur in templis & locis ſacris uſitatiſſimæ, nec non ædibus privatis. De ſacris conſtat, quod nos Deo quaſi holocauſtum incendamus perpetuum, diutius durans, quàm alia incenſa, ut apud maximam hominum partem uſu receptum eſt tam apud Chriſtianos, quàm paganos. Hi enim ſuis Idolis & Dæmonibus, illi Sanctis & aliis ceremoniis cereas addicant; Nos primitias Deo & decimas Eccleſiæ vovemus. Cereas enim cellas omnium primò conficimus mirabili artificio, in quo hactenus humanum ingenium nos imitari non potuit, nec manus artificum æmulari. Atque hac ratione piæ erga religionem videmur, ut officioſæ erga hominem; in quo duplici munere reliquos omnes longè antecellimus. De ædibus privatis nemo dubitabit, quod in Regum & Principum, aliorumque magnatum mēſis noſtri operis cereæ ſeu lumina de nocte vigilent, quæ aliis inſerviunt ſeipſa conſumendo, quod verè Regium eſt ſymbolum, & ſic noſtro generi aut à nobis

Secunda utilitas. deprompto dono conveniens. Secunda utilitas ceræ eſt, quod in medicinis exterius hominum corpori applicandis, ut emplaſtris, ceratis aut unguentis admiſceatur, ad omnis generis adfectus & morbos; Oleum quoque

Tertia utilitas. inde confectum magni uſus eſt. Tertia & magis inſignis ceræ utilitas eſt, quod antiqui tabellas & libros ex cera habuerint omni genere doctrinarum plenos, & adhuc, ut olim, ſigilla illi impreſſa homines ſervent ad Reipub. maximum emolumentum: De tabellis & libris conſentiunt omnes, qui vetuſtatem reſpiciunt, antequam aliæ materiæ ad ſcripturas uſurparentur, quod in tabulis ceratis ſeu lineis cerâ repletis ſtylo quodam acuto literas ſculpſerint & exarârint, & ſic per tabellarios invicem tranſmiſerint. Ergò Reges & Principes,

nec

necnon quicunque alii apum ope uſi ſunt ad communicanda ſua conſilia. Noſtræ exuviæ eorum mentis nuntiæ fuerunt; nec hoc ſolum, ſed & libri cerati doctis & prudentibus uſurpati ſunt ad artes & ſcientias conſervandas, præſertim leges, quibus hominum vita regitur. Sigillorum autem illa in ceras impreſſio quantum ſit virium, abundè patet: Nihil firmum & conſtans in contractibus hominum habetur, niſi cera interveniat & fœdus pangat; niſi apiculæ parte ſuorum ædificiorum illi fulcra & columnas ſupponunt & ſuppetias ferunt. Omnes itaque res humanæ cera, ut gubernantur, ſic conſervantur & firmantur, tanquam vinculo non cereo, ſed valdè ſerio. Nam verè dicitur à Poëta;

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit.

Omnia enim negotia humana, ſi bene reſpiciamus, cerâ conglutinantur & ligantur. Quod enim dato ſub ſigillo in cera impreſſo alter altri adſtrictus ſit vel officiis vel rebus vel dictis, quid aliud eſt, quàm ligamentum & vinculum, quod PAN, quaſi omne negotium admittit? Deſinant competitores mei, vitulus, ovis & anſer ſua dona circa hæc celebrare, cum meum hoc munus ſit præcipuum. Quid literæ abſque ſigillis? quod campanæ abſque piſtillis. Quid homines abſque fide? Umbræ & larvæ ſunt, imò civiliter mortui. Vitulinæ itaque ſeu ovillæ membranæ etiamſi ſcriptæ ſint pennis anſerinis adeò celebratis, cujus laboris ſunt, niſi cera accedat noſtri muneris? Nullius; imò ſi cera detracta vel rupta fuerit, pro nihilo habentur, tanquam non ſcriptæ. Cera itaque eſt, quæ addit illis fidem & ad illam dignitatem evehit, ut in precio habeantur, quâ detractâ, ad viliores uſus mancipantur. Unde quilibet de cera alicujus obtinenda

nendâ, hoc eſt, ſigillatâ, vel propriâ recuperandâ ab aliis ſunt ſolliciti, non de ſcripturis ipſis, quæ mortuæ, ut ſunt abſque cera, ita ab iiſdem vitam recipiunt. Quod de ſigillis dicitur, idem de aliis imaginibus intelligi debet: In ſacris quibuſdam templis innumeræ imagines ex cera ſuſpenſæ animadvertuntur: ſic in aliis locis antiquitus, ut adhuc habuerunt imagines ſuas & ſuorum avorum ex cera ordine diſpoſitas; Unde ob antiquitatem, fumoſæ ceræ illæ vocatæ ſunt, & quò quis nobilior, eò plures ejuſmodi ceras oſtentare potuit & econtra. Adhuc ad vivum imagines in cera colorata varii generis exprimuntur, quæ cum ſint tot, quot res vel individua, de illis nihil addo. Ex jam dictis facilè convinci poſſe intelligo, mihi ſoli debere Regiam præeminentiam præ cæteris omnibus. Nec dubium eſt, quin eam poteſtatem, quam in noſtram gentem exercemus, quoque in alia quæcunque, nempe Regiam, extendere ſciamus. Eſt autem in noſtra Monarchia, ne & hoc nimis ſuccinctè prætercam, tanta Majeſtas, prudentia & ordinis ſeries, ut vel ipſi homines à nobis Regiæ poteſtatis politiam didiciſſe videantur, & nos non ab illis, ut multi quoque ex ſcriptoribus tradunt. Nobis enim Rex naſcitur ſatis conſpicuis notis, pulchritudine, corpulentia & diſcretione ſingulari, at abſque ſpiculo & furore, cui omnes ſubjicimur, nec ullum, præter ipſum, agnoſcimus: Illi laboramus, ut regenti, illi ut excubanti in medio favi aſſiſtimus, illi evolanti ſtipamus latera, nec omnes movemur loco, niſi ille præeat, ducat & reducat. Hæc & his ſimilia cum quidam ex hominibus cum admiratione conſiderarunt, relictis omnibus ſuis negotiis, in his ſolis conſenuerunt, divinam providentiam ex ſola apum contemplatione verè Regia manifeſtiſſimè animadver-

Monarchia apum.

advertentes. Quæ omnia, ſi & tu, Arbiter optime, tecum perſpexeris, nullum eſt dubium, quin mihi dignitatem Regiam, ut naturâ ſic aliis dotibus, officiis & utilitatibus erga hominem, debitam, neglectis omnibus aliis, cujuſcunque magnitudinis fuerint, aſſcripturus ſis, ne de tuo judicio quaſi minus æquo, aut non ſatis conſulto, conqueri aliquando poſſim.

B O M B Y X.

JAMPRIDEM *Bombyx ſibi dari copiam dicendi, optaverat, verùm lege & ordine huc uſque ſe coërcere coactus erat: Nunc itaque turgidus corpore & promptus in hæc verba prorupit:* Quicunque hactenus mihi perorandi partes præripuerunt, non item hanc facultatem adiment, quâ non difficulter primas inter omnes, dummodo audiar, recuperaturus ſum: Si nobilitatis laude vel natalibus; ſi artificioſo opere vel ingenio, aut denique utilitate in homines redundante multiplici, axioma Regium acquirendum ſit, illa omnia in me uno copioſiſſimè reſplendere demonſtrabo: De primo etſi non multus *Bombycis* glorier, tamen cum aliis hæc quaſi potior laudis nota *Nobilitas* fuerit, nulli hac in parte lubens conceſſero. Quis autem *Ortus.* meam naturam ſatis indagare potuit, cum tot mirabiles metamorphoſes in ea ſe oſtendant: Ex ſemine exiguo radiis ſolaribus vel mammis virgineis calefacto vermiculi prodeunt animati & vivi, qui verno tempore in tenuiora mori folia expoſiti indies erucarum inſtar accreſcunt, & augentur in omnes dimenſiones, donec in erucas jam ſat magnas & variè coloratas progrediantur: Hoc noſtræ originis initium eſt, quod ideo admirabile exiſtit, quia inſectum quatuor alis præditum relinquit

linquit id ſemen, & vermis ſeu eruca progeneratur ex eo: Hæc ſanè animalia ſunt diverſa, nihilominus unum ex altero prodit; & alterius cauſa eſt: Artificioſum autem illud opus exiſtit, quod ab eruca, dum ita ſaturata foliis mori jacet, texitur: Incipit enim illa miræ texturæ bombycina fila ita conglomerare circum ſeſe, ut impoſſibile ſit alicui homini imitari: Hæ telæ ab hominum genere retexuntur, & in glomos congeruntur ad varios uſus: Quæ nunc Utilitas hinc petatur, non facilè licet exponere, ſiquidem ſit immenſa: Sericum illud rude manens in ſuo colore, pallidum & ſubflavum eſt, quod tingitur & diverſiſſimos colores recipit: Hinc partim fila duplicantur ad alios uſus, partim texturæ fiunt à textoribus diverſorum generum Inde tot ſericei panni arte mira conficiuntur, ut materiam mille artificibus præbuiſſe dici poſſint, quorum tamen alii alia inde opera concinnent ad hominum uſus ſpectantia: Cogites ſaltem, quot viri, quot fœminæ noſtro ſervitio panem quærunt, dum quod nos teximus, illi retexant; Hinc tinctores cum magna familia ſuas operas nobis præſtant, ut ſerica noſtra aliis atq; aliis coloribus imbuant: Poſt hos textores adſunt, qui ex filis tinctis varia ſtamina & ſubtegmina concinnant; unde fit velutum & diverſæ aliæ texturarum ſpecies: Hinc mercatores hæc opera mercantur, & ſuis mercibus aggregant, inque diverſas regiones & civitates convehunt ad uſum hominum: Quæ quatuor hominum ſortis tam ſunt populoſæ, ac numero abundantes, ut nullus Rex tam potens inveniatur, qui plures ſubditos habeat: Nihilominus hæ omnes agnoſcunt, ſe à nobis victum & à noſtris donis petere: Qui verò præter hos & amictum inde habeant, ſunt planè innumerabiles: De Imperatoribus & Regibus

Artificioſum opus

Utilitas.

bus nihil, ut nec de Principibus dicemus, quamvis & illi noſtris muneribus gaudeant, ſed de inferioris ordinis hominibus: Reſpice, quamprimum aliquot noſtri generis vermes ſuas telas circum illos contexuerint, quàm ſuperbiant, quàm ſtrenui incedant & criſtas erigant: Nulla res eſt, quæ ita hominum multorum animos mutet, quàm noſtrum illud texturæ opuſculum, quo ſi quidam ſaltem tegantur, omnia ſua vitia ſatis tecta eſſe exiſtimant: An non honeſtus ille præſumitur, qui multis famulis comitatus ſplendidiſſimis noſtri operis filis involutus incedat, licet hominum, ſi animum ſpectes, ſit peſſimus, & ne pilum honeſtatis repræſentet? Econtra, an non ſtatim inhoneſtus & viliſſimæ conditionis ille habetur, qui pannis obtritis & abjectis obſitus eſt, liceat integerrimum aliàs honeſtumque tegat animum? Tu ipſe optimè noviſti, vel doctiſſimum in literis & ſcientiis abſolutiſſimum virum in nullo vel ſaltem exiguo haberi precio, ſi non bene veſtitus fuerit, nec ut talem decebat, ſe præbuerit; Ac quemcunque vis ſemihominem, ſi mentem ſpectes, ſerico indutum magnificè, literatiſſimo illi anteferri: Tantum tela noſtri operis præſtare poteſt, de quo ſi dubites, vel verâ hiſtoriâ rem tibi ob oculos ponam: Philippus Bonus Burgundiæ Dux aliquando noctu invenit quendam ex infima plebe cerdonem Grandavi in foro ſomno vinoque ſepultum, quem à miniſtris ſuis attolli & geſtari ſecum in aulam Ducalem, ubi hominem veſtibus ſuis viliſſimis & immundis exui, & indutum induſio lineo in Ducalem lectum reponi juſſit, donec villum, quod biberat, edormiret: Manè adfuerunt ipſi pueri Nobiles eleganti facie & veſtitu, qui expectarent, dum homo evigilaret, quem interrogârunt, ut ipſum Ducem ſoliti erant, geſtibus &

Hiſtoria jucunda.

dictis ad blanditias & reverentiam compoſitis, quomodo vellet veſtiri, & ſimul diverſa genera veſtium ipſi, ut inde delectum haberet, propoſuerunt: Homo multis modis de ſtatu ſuo ab initio dubitavit, ut & de loco, ſecumque diu diſputavit, an eſſet ille, qui haberetur, an verò alius ille, qui fuerat: Cum verò animadvertiſſet & nobiles viros adeſſe, qui ſibi ad nutum adſtarent & quærerent; An non vellet ſurgere & ad conſueta officia redire, facilè ſibi perſuaderi paſſus, ſeſe eſſe Ducem, qui haberetur: Indutus itaque veſtibus ducalibus, cum hac ſibi convenientes ſentiret, non aliter putavit, quàm ſeſe eſſe tot famulorum Dominum & (neſcio, quò fato, factum) totius regionis potentiſſimum Principem: Ducitur magno comitatu ad viridaria aulæ proxima, hinc ad vivaria piſcium, deinde ad jentaculum; à quo tempus teritur ambulando ad alia diverſa loca, confabulando de rebus variis, in quibus omnibus homo, quoad corpus & habitum, ſe præbuit (qui non erat) Ducem, quoad mentem & cætera omnia (qui erat) cerdonem: Poſt ad prandium adducitur, in quo ipſi pulcherrimæ fœminæ adjunguntur & optimates aulæ quicunque: Hinc ad venationem ferarum cum equis & canibus, multiſque aulicis contendit, unde ad cœnam, in qua cum opiparis & varii generis ferculis tractaretur, ac interim in ſanitatem ipſius ab omnibus optimi vini pocula propinarentur, facilimè, cur id genus vini impensè amaret, iterum inebriatus eſt, ut prius, ac in profundiſſimum ſomnum conjectus: Tum ipſe Dux Philippus (qui hactenus inter aulicos fictitio inſerviverat hunc hominem, qui huc uſque Principis perſonam ſuſtinuerat, iterum priſtino ſuo loco in medium fori, unde deſumptus fuerat, ſuis propriis veſtibus indutum,

ductum, reportari mundavit; ubi cum noctem peregiſſet, ac manè ſe eo in loco animadvertiſſet, diu dubitavit de ſtatu ſuo; an eſſet ille, qui nunc videretur, an verò dux ille, qui viſus erat. Verùm cum aliter ſibi perſuadere non poſſet, præſentibus omnibus ſignis, inprimis veſtibus laceris & vetuſtis, quæ cerdonem illum viliorem declararent, & abſentibus, quæ ducem, tandem domum rediens, uxori ſuæ veluti ſomnium, quod ea nocte viderat, quomodo in ducis aula fuiſſet & qua ratione tractatus, ambulationi & venationi, reliquisque rebus omnibus operam dederit, narravit. Ex quibus apparet, veſtes ex noſtris telis confectas maximam vim habere ad perſuadendum hominibus illis, qui eas geſtant, & aliis, qui eas geſtari cernunt, qualis & quantus quiſque ſit. Nam plerique, qui vident ſe bombycinis exuviis indutos, etiamſi ſint ex infima ſorte homines & nullo nobilitatis aut doctrinæ colore imbuti, mox ſibi perſuadent, quòd ſint tales, quales habentur (ut ille cerdo) cum videant ab omnibus ſibi ad nutum dici, applaudi & faveri. Sic & alii, qui cernunt quendam ſericeis filis circumſeptum, non illum pro verme bombycino habent, at pro ave, cujus nidum molliores texturæ ornent, imò pro eo, cui, ut fortiori aſſurgendum, ut formoſo abblandiendum, ut erudito in ſermonibus concedendum, ut ſeniori locus commodior relinquendus ſit. Tantam vim ineſſe noſtris telis animadvertis, ut magis, quàm Magnes ferrum, illæ attrahant hominum oculos ad ſeſe, ſibique eos propitios reddunt. Inde verſiculi:

Hunc homines decorant, quem veſtimenta decorant:
In vili veſte nemo tractatur honeſtè:
Vir bene veſtitus pro veſtibus eſſe peritus

 Creditur,

Creditur à mille, quamvis Idiota ſit ille:
Si careas veſte, nec ſis veſtitus honeſtè,
Nullius es laudis, quamvis ſcis omne, quod audis.

Nam talis prima facie præſumitur quis eſſe, qualem veſtes eum indicant, l. item apud, 15. §. ſi quis virgines, ff. de injur & famoſ. libel. Fateor, nullum noſtrarum telarum uſum eſſe apud barbaras quaſdam gentes, quæ nudæ, deformes & nigræ incedunt, nec illas æſtimari noſtri velleris pretium: Verùm illæ ut pudoris, ſic decoris nullam rationem habent, quocirca nec judicii diſcreti quicquam poſſident, ut de utilitate noſtri operis cenſere poſſint: Nos in quibuſdam ſylvis Aſiæ noſtras texturas ſponte noſtra conficimus, nullo homine, aut rariſſimo, æſtimante earum precium; quod cum animadvertimus, non ad Nigritas illos Africæ, inermes populos & nudos, conceſſimus, ſed potius ad Europæos caſtra noſtra promovimus, qui nos tantâ curâ tractant, ut apud ipſos nos gratiſſimum hoſpitium reperiſſe nobis gratulemur. Illi nos mori foliis tenuioribus paſcunt, & nos illis telas noſtras pro mercede nutritionis relinquimus. Illi nos virginum mamillis excluſiſſe dicuntur, nos in gratiam virginum non ſolùm mammillas, ſed & totum corpus noſtris opuſculis circumteximus, ut potius illæ à nobis educatæ & nutritæ, quàm nos ab illis, videantur. Illi noſtris velleribus colorem, nos illis pulchritudinem conciliamus. Atque hîc mutuas operas alii aliis præſtamus. *Admirabilis quæſtio.* Unum eſt, quod maximè admiror, & cujus cauſam non ſatis rimari queo; Unde nempe homini ſuperbia, ſic à nobis veſtito, cum nos ſimus nec ſuperbi, nec telis noſtris glorioſi? Unde tantus illi ſpiritus inflet animum, cum nos talem non agnoſcamus faſtum? Simplex nobis cibus eſt, folium arboris, ſimplex diæta & operatio

peratio una. Unde igitur tum diverſæ affectiones ſericeis veſtibus adhærent?. Sanè nullas alias video cauſas, quàm quòd ſerico per accidens advenerint, nempe per tincturam ſeu texturam, aut ſarturam. Per tincturam, quia colores, quibus imbuitur, ſunt diverſi & diverſarum proprietatum. Alii ex vegetabilibus, alii ex mineralibus, nonnulli ex animalibus petuntur. In his omnibus magna eſt varietas, ita ut quidam cor aliter atque aliter adficiant. Rubeus & purpureus cor maximè reſtaurare creditur. Sic & alii ſuos affectus cordi imprimere poſſunt, quorum cauſas vix reddere licet. Per texturam quoque ſerico tale quid accedere eſt poſſibile, ac inprimis per ſarturam. Videmus enim figuram materiæ & formam novam multum ipſi conciliare gratiæ. Ex gratia autem magna cordis opinio, vel alius affectus generatur. Quæcunque ſit cauſa, ſive in materia, ſive in forma, ſeu in ſubjecto ipſo ſeu corpore ſeu animo hominis, perinde eſt, cum nos noſtris filis eam ad rem nihil conferamus, niſi quid ſit occultius, quàm à me inveſtigari poſſit. Hoc ſcio, nos mori foliis veſci, ex quibus nihil ſuperbiæ ad nos derivatur. Verùm homo noſtris telis ex arboreis foliis enutritis & productis utens, non immemor priſtinæ nuditatis ſuæ in Paradiſo, quam ficuum foliis tum tegere voluit, nunc ſe remedium iſti malo inveniſſe ſibi gratulatur, ut foliis mori pro ficuum uti poſſit, ne nudus demum compareat, aut pelle ovila veſtiendus ſit, ut olim. Non meũ eſt, ipſi inculcare, quod mori foliis in vermium alvo alteratis utatur, ut vindicet ſuam nuditatem, & irrideat ſimplicitatem primorum ipſius parentum, aut quod vermium exuviis vivus ſe tegat, quia mortuus vermium eſca futurus ſit: quia ipſe homo in hoc diſcretione non minimâ utitur, ut cogitet,

Reſponſio.

Cauſæ occultæ, at probabiles.

&

& qualis fuerit, nempe nudus, cum in mundum venerit, & qualis futurus ſit poſt mortem, nempe putridus ſeu putrefactus. At ſi probè reſpiciam, potius noſtram nobilitatem & homini amicam naturam ex eo, quod ille noſtris operibus involutum ſe non infelicem, ſed optimè inſtructum ſentiat, deducere poſſum, quàm ipſius fragilitatem ex noſtra metiri. Quid enim homine nobilius aut generoſius? quid ſapientius & diſcretius? Attamen hic ipſe judicat, nos non indignos, quorum velleribus & exuviis ſe tegat & attollat, imò ſuam nobilitatem aliis oſtendat & declaret. Quapropter nos nemo, niſi nobiliſſimos æſtimabit, quia nobiliſſimi hominis nobilitatem nobiliorem faciamus. Nihil eſt, quod ovis ſive ex Albia ſive Iberia, aliisve locis petita, ſuis lanis nobis ſe exæquet, cum longè potiorem locum illa ex diutina præſcriptione temporis jampridem obtinuerimus, & ipſa poſſeſſione defendamus; ita ut ovis potius bombyci aſſurgat, quàm hic illi. Nos arborum ſummarum foliis paſcimur, dum illa radiculis & gramine contenta in aridis quoque paſcuis degat. Hinc ſublimiori fortuna & ortu meritò gaudentes ſublimioribus naturis noſtra vellera ſericea uſurpanda relinquimus. Illæ depreſſioris conditionis ut eſt, ita illius lana, niſi ſummum artificium & coloritium accedat, ſaltem humilioribus appropriata conceditur. Ex quibus omnibus ſatis dilucidè innoteſcit, quanta utilitas homini ex noſtris telis proveniat, atque hæc tanta, ut mihi Regiæ dignitatis titulus nullo jure, niſi immeritò, denegari poſſit. Magna ſunt merita vituli, ovis, anſeris, non exigua oſtreæ & apis, ſed Bombycis ſunt longè ampliſſima erga hominem, præſertim eum, qui bombycinis conſpicuus donis ſubtilius diſcretionis acumen poſſidet, & plerunque

runque

runque in ejuſmodi arduis negotiis Judicis partes obtinet.

L I N V M.

HActenus *animalia diverſarum claſſium, quæq; pro ſuis honoribus perorârunt, nunc ad vegetabile genus dicendi facultas deſcendit, quod ut ſenſu & motu deſtitutum, ſic vilioris conditionis habetur: Verum Linum cum hinc quaſi à cæteris deſpici videretur, ſic incepit effari*: Nullus, arbitror, ex hoc conventu, multò minus, tu Arbiter digniſſime, mirabitur, cur præſcriptus ordo hunc mihi diſſerendi locum reſervârit; quia veſtrûm quaſi minimum videri poſſim: At cum longè aliter mihi viſum, & experientiâ notum ſit, quod juniores & indigniores prius, ſeniores & digniores poſterius in Conciliis ſententias ſuas dicant, nulli ſuccenſeo, ſed potius Domino Arbitro gratias habeo, quod hunc mihi locum addicare voluerit. Animalia pro ſeſe diſſerentia tot & tam diu lubens audiviſti, ideoque & mihi, uni ex vegetabilium ingenti numero delecto aliquantulum temporis attribuere te non pœniteat. Si de utilitate hominibus collatâ à quoquam dicendum ſit, Lini authoritas facilè prævalebit cæteris omnibus, quod etſi non ſit initio, & non niſi poſt multos labores ad hominis uſum habile, tamen evictis illis poſtea utiliſſimum accedit, adeò ut ſine eo humana vita longè durior & auſterior tranſigenda foret: quod cum animadverſum, non puduit illud tractando variis modis, ſibi accommodari, à quo facilè abſtinuiſſent, niſi tanta utilitas inde ſperata fuiſſet. Nam omnia, quæ pulchra, & per ſe bona, hominique minus noxia, rara exiſtunt, & non niſi poſt labores duriſſimos

 exantla-

exantlatos ei conceduntur, veluti Heſiodus teſtatur; *quod Dii immortales ante gloriam ſudorem poſuerint:* Et Romani antiqui noluerunt quenquam in Gloriæ templum ingredi, niſi per laboris ſacellum eandem ob cauſam: Imò antequam ad nucleum perveniatur, primò nux frangenda & cortices ſeparandi ſunt: Sic antequam *Præparatio linivaria:* Lino commodiſſimè homo frui poſſit, illud præparandum erit ita, ut primò ſemina ejus in agrum optimè lætificatum ſpargenda ſint; Cumque planta excreverit, ut agnoſci poſſit ab aliis ignobilioribus herbis purganda aliquoties: Hinc cum maturuerit, evellenda: Quartò, ſemina per dentatos pectines trahendo ſeparanda. Quintò; his ſepoſitis reliqua planta ad macerandum ſub aquis diſponitur, ut putrefiat aliquatenus per duodecim ferè dies. Sextò, diſponitur in locis ſiccis perflatis, ut exiccetur ſole, vento aut aëre. Septimò, exiccatum ita amplius in furno exiccatur, donec ſit corpus fragile. Octavò frangitur inſtrumentis fractoriis, non quidem ex toto, ſed corpulentior pars. Cuticula enim infrangibilis & lentiſſimæ ſubſtantiæ permanet. Nonò lignis latis, tanquam ſecuribus, ſcinditur, aut potius mollior illa ſubſtantia redditur, & à particulis duriuſculis ſeparatur. Decimò, per rariores acus ferreas tranſmittitur. Undecimò, per crebriores ſeu tenuiores purgatur à filis craſſioribus & decurtatis. Duodecimò, in fila ducitur. Decimotertiò, in brachia tranſverſa exponitur, ut lavari poſſit. Decimoquartò, lavatur aquis & lixiviis. Decimoquintò, exiccatum in glomos ducitur. Decimoſextò ad textorem apportatur, & in linteum texitur. Decimoſeptimò, Linteum jam factum ſoli & pluviæ exponitur, ut albedinem ſummam acquirat. Decimooctavò, Ad uſus hominum diſſecando & filis conſarcinando

nando applicatur: Horum linteorum utilitas poſtea innumerabilis per tot prævios, ut dixi, labores appetitur: Nulla, ut exiſtimo, res alia tot præpationibus indiget, quapropter eas enumeraſſe, hoc loco fuit conveniens: Quod Bombyx de ſuis telis affirmavit, fortè ita ſe habet, at ſi illius filamenta tot præparationum modis inveſtigari deberent, abſque dubio rarioris uſus ſerica exiſterent: At hoc non exterruit homines, quin quò labores eſſent graviores, eò gratiores exiſtimarent, dummodo lini uſu fruerentur: De quo nunc breviter dicimus. Eſt autem ejus utilitas multiplex, vel in ſemine, vel filis, vel linteo inde facto, vel poſtquam linteum eſſe deſierit: In ſemine, aut per ſe, aut inde expreſſo oleo: Per ſe, ut in re medica, ad emolliendum & maturandum ſemina adhibentur: Oleum inde expreſſum penetrantiſſimæ tenuitatis eſt adeò, ut ſolo vitro aut veſicis contineatur, non vaſis terreis quocunque modo præparatis, ex quibus exudat: Uſus olei ad colores, & alia innumera, ut & medicamenta, quæ prætereo: Ad fila linea accedo, quæ quoque utilitatis ſunt diverſæ; nempe vel ad conſtringendum & ligandum res quaſcunque, vel ad conſarcinandum, aut ad alios uſus & ornatus: Fiunt quoque inde panni multiplices non linei dicti, vel per ſe, vel admixtis lanis aut bombace, aut ſerico, quorum uſus eſt, ut ad aliorum pannorum ad veſtes & alias res hominum. Verùm lintea præ cæteris omnibus ſunt in deſiderio & precio. Reliquis carere poſſet homo, aut aliis eorum loco uti, at ſi linteis careret (ut caruit antiquiſſimis ſeculis antequam præparatio lini innotuit) tum multis tædioſis laboribus indulgendum foret. Nam, ut primò de interulis, ſubuculis, ſeu induſiis hominum pauca adferamus, ſi illis carendum, & ſolis laneis pannis utendum foret

Lini utilitas multiplex.

1. In ſemine.

2. In filis.

3. In linteo.

ret, hinc ex cute humana & ex beſtiis deprompta lanâ ſimul calefactis & ſordibus inquinatis putrefactio contingeret, ex qua vermes abſque numero orirentur aut morbus phthyriaſis ſeu pediculatio dictus, quibus homo infeſtatus, aut ſæpiſſimè veſtes mutare, aut ſingulis diebus ſeſe lavare ad ſordes illas abſtergendas cogeretur; quemadmodum experientia cognitum eſt, quòd ubi adhuc utantur laneis togis cuti proximis, id genus morbi ſit frequentiſſimum, ubi autem puriſſima lintea ſæpius mutentur, vix cognitum. Inde antiquis temporibus, cum lintei uſus nondum adeò increbuiſſet, ut nunc, in Italia, ubi aër æſtate calidior plus ſudoris ex humanis corporibus elicuit, cogebantur ſingulis diebus ſe lavare, unde tot magnifica balnea Romæ & alibi extructa ſunt, in quibus ipſi Imperatores ſæpè, ut & alii quicunque ſeſe lavabant, atque ſic diem lotionibus & inunctionibus, tanquam ad has res nati, conterebant; In quibus permulti, non tam neceſſitatis, quam voluptatis causâ, ſuperveniente abuſu, quoque fuere immodici, adeò ut Galienus Imperator quater aut quinquies ſingulis diebus lavaſſe legatur. Quod dictum nolim, quaſi antiquis Romanis linteum ignotum fuerit, ſed quia in majori precio, quàm nunc & rariori uſu: Sic legitur Cæſarem totum forum Romanum linteis adumbraſſe. Et Virgil. 1. Georg.

Urit enim campum lini ſeges.

Plautus in Moſtel.

Linteum cape, túque exterge tibi manus.

Imò Sacerdotes quoque Ægypti antiquitus lineis uſi ſunt veſtibus; ut patet ex Poëtis: Ovid. 1. Metamorphoſ.

Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.

Et

Et Juvenalis Sat. 6.

Qui grege linigero circumdatus & grege calvo
Plangentis populi currit diriſior Anubis.

Sic & Apollonius Thyaneus Philoſophus eodem habitu linteo fuiſſe fertur, quoniam hic, ut dictum, videbatur mundior, quàm qui ab animalibus deglubebatur; Propter linteorum quoque defectum vel raritatem antiqui oleo ſe illinebant & exercebant in publicis locis ad ſudorem uſque, poſt quem natationibus in fluviis prope campum Martium & aliis in locis dabant operam; quæ res ut ad munditiem conſervandam præcipuè ſpectabat, ſic & bellicis exercitationibus non inutilis fuit: Huc quoque pugilum ars referenda eſt, & ſaltatio ſeu motio corporis ſecundùm artem facta, item frictiones membrorum aliquoties ſingulis diebus repetitæ, de quibus omnibus Medici ſcripſerunt, tanquam ad ſanitatem ſpectantibus præceptis: At ſi bene rem introſpiciamus, præcipua fuit cauſa omnium horum laborum & tædioſorum exercitiorum, munditіes corporis conſervanda: Et poſtea conſuetudo harum rerum & aſſuefactio fecit alteram naturam & tanquam quid ad ſanitatem neceſſarium, quod inde apparet; quia abſque lotionibus & excrementitiis ſuperfluitatibus ex cute diſcutiendis ſordes collegerunt, unde dicti antea morbi ſuborti ſunt: Atque hac ratione balneationibus, frictionibus, olei inunctionibus, ſudorificis exercitiis, athleticis & ſaltatoriis motibus, tota dies inutiliſſimè homini tranſacta fuit, præſertim magnatibus, tanquam viverent, ut has res agerent, & nihil præterea: Interea alii vilioris ſortis, qui victum ſuo labore quærere coacti ſunt, nunquam aut rariſſimè ſeſe hoc modo mundantes multis afflictionibus fuêre vexati: Ex quibus apparet, abſ-

que lintei uſu hominum vitam miſeram fuiſſe, & adhuc in quibuſdam locis eſſe, quod ſemel demonſtraſſe ignaris ſufficiat. In linteis enim ſæpè purgandis nulla eſt affinitas cum corpore humano, atque hinc ſordes non ita facilè in vermes tranſeunt, ſecus eſt in ſerico & laneo panno. Mundities itaque hominis præcipua linteis aſſcribenda eſt, quæ hanc ſibi addictam conferunt, & à ſordibus, quas imbibunt, tutantur. Atque per conſequens, id tempus, quod omni ordini & ætati tam ineptis lotionibus & mundationibus corporis datum eſt, neglectis aliis ſerioribus negotiis, ſtudiis ſeu laboribus ſeu precationibus, hoc nunc beneficio linteorum vitæ humanæ commodius tranſigendæ acceſſit. Quod ſi Principes quāter aut quinquies de die lavandi eſſent, ac toties fricandi & aliis modis exercendi, præter cibandi tempora, quando gravioribus de ſubjectorum ſalute ſuſcipiendis conſiliis vacabunt? quando preces & vota pauperum ſuppreſſorum audient, legent aut dijudicabunt? Ne quid de cæteris inferioribus adjiciam. Linteorum itaque uſus adeò neceſſarius videtur, ut ipſius panis, imò utilior; quia panis abſentia aliis deliciis aliquamdiu ſuppleri poſſet, linteorum nulla re alia. In lectis & menſis eadem mundicies ex linteis petitur. In mantilibus, ſtrophiis & collariis ſimiliter. Atque hæc ad neceſſitatem. Verùm ſi ornatum muliebrem & faſtum ex linteis ſolis dependentem conſideremus, quam mirè ſe variis linteorum generibus gratiſſimas ad aſpectum reddant, illum non minus diverſum animadvertemus, de quo potius omnino tacendum, quàm non pro dignitate diſſerendum eſſe ſtatuimus: quibus duos breviſſimè linteorum uſus antiquitus huc uſque notos adjicimus; nempe quod navigationes linteis velis, uti & canna-

cannabeis, per totum terrarum orbem perficiantur; unde Virgil. 3. Æneid.

Certum eſt dare lintea retro.

Id eſt, vela: quod munus quùm amplum ſit, exiguum temporis ſpatium non permittit enarrare: Deinde, quòd olim libri quoque lintei fuerint, quales Sibyllini extiterunt: ut teſtatur Livius 4. ab Ube: Sic Plinius lib. 13. cap. 13. In plumbeis linteisque voluminibus ſcriptitatum conſtat: Imò & noſtra ætate in ſubtiliſſimis linteis aliquando quid ſcriptum aut pictum, aut impreſſum invenimus: Quæ de uſu linteorum, dum integra ſunt, quaſi digito ſaltem indicaſſe & delineaſſe ſuperficialiter, ſufficiant. Linteis autem maculatis & lotione purgatis ac demum uſui adhibitis toties & tam diu, donec in partes deciderint; En nova generatio exoritur: Nam linteaminum vel pannorum latorum portiones, quomodocunque maculatæ vel attritæ, congeruntur in unum acervum, ut portentur in molam chartis faciendis dicatam: ibi fit delectus & lotio; pòſt maceratio in aquis, donec quaſi putrefactio quædam incipiat, hinc contuſio in pultes, quæ tenuiſſimæ aquis infuſæ captantur reticulis ferreis expanſis & in chartam, ſeu emporeticam, ſeu communem ſcriptoriam, ſeu Regalem dictã, formantur; quæ charta exſiccata, lævigata & explanata aluminoſaque aqua tincta ad uſus hominum innumerabiles producitur. Taceant nunc membranæ vitulinæ, ovillæ & cereæ tabulæ, à vitulo, ove, apicula, anteà inculcatæ, cum ex lino & linteo novus ales, quaſi Phœnix, reviviſcat, qui omnes earum utilitates oblivione involvit & obſcuriores reddit. Ut jam taceam chartarum emporeticarum varios uſus ad implicandas res & alia accommodatarum, nullus eſt hominum, qui non novit,

4. Poſt corruptionem lintei nova generatio chartæ.

novit, hoc tempore libros & literas in chartis ſcribi & imprimi tanto numero & abundantia, ut nec membranæ ullæ animalium nec cereæ illis ſupplendis ſuffecerint. Chartarum uſu mundus in doctrinis, artibus, ſcientiis, virtutibus & multis aliis commoditatibus adauctus fuit. Nam, demus, quod antiqui ſcripſerint in metallicis tabulis aut cereis, ſive libris arborum ſeu foliis papyri Niliacæ, aut denique membranis animalium, at vix quiſquam tam multorum librorum uſum, niſi maximo labore, tædio & ſumptu comparare, ſecumque de loco ad locum transferre potuit; atque is ſaltem ditiſſimus. Unde exploratum habemus tum temporis pauperiores à ſtudiis abſtractos & deterritos fuiſſe potiſſimum propter materiæ, in qua ſcribendum eſſet, ac librorum charitatem. Exempli gratia: Geometræ tum ſuas figuras facere coacti ſunt in arenis, quæ ideò ſapientiſſimæ dicebantur terræ, ut conſtat de Archimede (qui & oleo in proprio corpore nudus, dum balnearetur, pinxit imagines) qui dum in pulvere figuras ſcriptas attentius contemplaretur, capto oppido à militibus Pyrrhi occiſus eſt. Alii ex pauperibus variis materiis uſi ſunt ad præceptorum dictata inſcribenda; quemadmodum Cleanthes ungulis mulæ, alii aliis. Jam verò tanta eſt copia hujus materiæ, in qua inſcribitur, ſolius lintei beneficio, ut vel pauperrimus habere queat ſatis, quoad legat, diſcat, aut in quo lecta vel audita ſcribat. Inde contigit, quod non membranarum nec ceræ uſu tot artes & diſciplinæ nunc floreant, ſed unius chartæ. Chartæ, inquam, aſſcribi debet, ſi bonis literis & doctrinis quis imbuitur; ſi libri innumeri ad omnem poſteritatem propagantur & æternæ memoriæ commendantur authorum nomina & opera. Deſiit enim uſus

mem-

membranarum animalium aut ceræ, inventa charta, ut glandium eſus, invento pane. Chartis invigilant & ſtudent Principes & omnes Nobiles, iisq; ſua ſecretiſſima conſilia concredunt, non reputantes, quod ex vili particula linteoli, ſæpius maculati, factæ ſint. Ut enim ex figulo olim Rex creatus eſt, & ex matula ejuſdem aurea Idolum reverendum populis, ſic ex panno ſatis detrito & viliſſimo reddito fit charta puriſſima, quæ inauratur quoque, ad epiſtolas Principum accepta. Chartis incumbunt Conſiliarii Regum & Principum & per chartas loquuntur cum mutis magiſtris. Quid multis? Imperia, Regna, Principatus chartis reguntur & omnia negotia in illis traduntur chartis, ne ex memoria excidant. Chartis Cancellaria dicata eſt, ex qua ſi chartæ noſtræ evolent, tanquam columbæ emiſſitiæ, mandant, prohibent, perficiunt, & fieri jubent, quicquid jura aut leges poſtulant. Chartæ itaque ſunt legum & juſtitiæ tabellariæ, quæ tacitæ loquuntur & dolos quoſcunque produnt. In chartis Medici ſua medicamenta perſcribunt, & ſic ad ſanitatem chartæ quaſi viam præparant. In chartis quoque Philoſophi ſua theoremata exponunt, & diſcentium ob oculos ponunt, ut non opus ſit arenâ vel aliis mediis ad lituras & figuras excipiendas, atque hinc charta eſt omnium ſapientiſſima. Chartis amatorum vota & blanditiæ creduntur, eæque ſæpe à legentibus oſculo dignantur. Per chartas amicus amico in aurem loquitur, mentemque. Et ſanè, ſi homo prius linteo credidit corpus ſuum, antequam id charta fieret, nunc cum facta eſt, & animum eidem aperit per ſcripturam; de quo nemo gloriari poterit, niſi ſolum linum. Hoc unum eſt ex fideliſſimis corporis humani ſtipatoribus, ut ex mentis emiſſitiis & exploratoribus, cui (tan-

Agatocles

quam Germanæ cohorti olim & adhuc Principes plerique) ſeſe dedidit & dicavit. Linum non eget ope aliorum, at alia lino carere nequeunt. Nulla veſtis abſque lini ſeu lintei ſeu fili opera conſuitur. Linea autem indumenta ſuis propriis filis & partibus conſtant. Reſpice ipſos libros impreſſos, quorum materia ex lino, & literarum inſcriptarum potior pars eſt oleum lini condenſatum, cui ſi charta per combuſtionem nigrefacta, uti fieri poſſet, vel alius fumus ex oleo lini combuſtus, commiſceatur, atramentum eſt libris perficiendis conveniens. Totus itaque liber impreſſus ex lino conſtat, nec ſibi quiſquam alius de eo quid arrogabit, ſive fila, ſive alia conſiderentur, quibus compingitur. Solum linum omnia ſua ſecum portat, & quibus opus habet, in ſe ſolo invenit. Oleum, quod ex ſemine ejus exprimitur, eſt quoque in ipſa planta & linteo, & charta, ex qua in pyramidem figurâ conformatâ & incenſa cum latiori parte ſtanneo, plano corpori impoſitâ, mox oleum apparebit non abſque ſingulari admiratione, id per tot lotiones & cruciatus remanſiſſe in ſua; nempe chartæ ſeu lini, materia. Quod ſi hæc omnia in unum colligantur, & acuta mente conſiderentur, tanta & talia ſunt, ut cum nullis aliis comparari queant. Idcirco mihi uni, ut hominibus utiliſſimo, ſine quo illi non bene, ſed miſerè vitam tranſigerent, ſine quo nec artes, nec ſcientiæ, nec res humanæ, cujuſcunque ſint conditionis, tradi aut percipi poſſent, Regium deberi diadema ante omnes jure adfirmare audeo; quod cum à nullo, niſi impudentiſſimo & qui nihil è chartis doctrinæ unquam hauſerit, negari queat, tu ARBITER eruditiſſime, huic liti finem imponens, mihi, cui debetur, honorem illum ne invideas, tibi ve, quod ſecus, quàm jus patitur, ſententiam dixeris, ignominiam compares.

MER.

MERCVRIVS.

RESTABAT *uni adhuc perorandi locus, nempe Mercurio, ex metalliferis fodinis ope humana petito, cui tanquam viliſſimo, nec ſenſu motúve, ut animalia, nec vegetante virtute, ut linum, prædito, quotquot erant, exiguum dicendi ſpaciū ſupereſſe arbitrabantur, ideóque ut breviſſimè ſe expediret, illi injungebant, quò quamprimum ad ſententiam, quam avidè expectabant, dicendam à Judice accederetur: Verùm Mercurius horum deſideria nòn ignorans, ab arbitro ſibi, quoad ſufficiat, diſſerēdi facultatem petiit in hunc modum:* Hucuſque Arbiter diſcretiſſime, cum patientia ſingulorum voces, & vota diligentiſſimè perſcrutatus es, & abſque dubio, quantum in cujuſque oratione firmitatis aut veritatis conſiſtat, in prompta memoria retines; quocirca ut & me eadem animi attentione audias ab initio ad finem uſque, obnixè te rogo: Non meum erit in competitorum gratiam aut nutum orationem contrahere, at potius pro neceſſitate de omnibus, quæ mihi opus videbuntur, & ad rem ſpectare, copioſius, te concedente & audiente, diſſerere: *Ad quæ cum Arbiter annuiſſet*; Nunc itaque facilè, *inquit Mercurius*, aliis omnibus hanc curam præripiam, ne in poſterum de prærogativa inter ſe aut mecum contendant: De Nobilitate aut ortu meo nihil dicam, licet alii ante me hac de cauſa multum ſibi placuerint; at ſaltem de utilitate, quæ ex me ad homines redundat, pro ut rei lex ſuadet, verba facturus. Eſt autem hæc immenſa, & non minus, quàm omnium fluviorum maximus Nilus (qui per ſeptena oſtia ſe exonerat in mare mediterraneum) ſeſe in totidem ramos dividit, pro numero metallicarum formarum, quæ ex me

ortum ducunt: Primò itaque dicam de me ipſo, & ex mortis ſemimetallis, ſecundò de plumbo, tertiò de ſtanno, quartò de cupro, quinto de ferro, ſexto de argento, ſeptimo de auro. Quantũ ad me ipſum attinet, ſum hominum uſibus maximè accommodatus. Nam ne dicã hic de Chymicorũ laboribus fruſtraneis circa me crudum & volatilẽ ſolũ impenſis, utpote potius inutilibus & deplorandis, quã utilibus & laudandis ſufficiet mihi ex magno cumulo inſigniora decerpere; eaq́; ſunt inprimis quatuor; Quod nempe adhibear ad congregationẽ auri vel argenti: Deinde ad inaurationem vel inargentationem; Tertiò ad alia mechanica opera. Quartò ad medicinalia. Fit autem per me auri congregatio illius, quod latet in fluviorum aut rivorum aquoſo limo ſeu ſedimento; quemadmodum ſunt innumeri, qui iſta lotione aurum aucupentur ex aquis, quibus inſenſibiliter immixtum eſt, & ad fundum plerumq́ue ſubſidet: Atque hac ratione id in Ungaria, ac Sclavonia, aliiſq́ue partibus, ubi rivi ex auriferis montibus profluunt, ut & in Germania & Sileſia, beneficio Mercurii in corpus redigunt, hoc eſt atomos leviſſimos auri, qui per decurſum aquarum ab auro eluuntur & abroduntur, per aquas diſperſos, colligunt, & ſibi uniunt, quod nulla alia ſubſtantia fieri poſſet, quàm Mercurio. Hic enim, tanquam mater auri, poſtquam reperit filium ſuum errantem per aliena elementa & aquas, illum in gremium ſuum recipit, donec eum ſibi ipſi reſtituat, & viam monſtret, aut conſilia aperiat, quid agendum, quid non; non aliter quàm Virgilius 1. Æneid. fingit Venerem Æneæ filio erranti in ſylvis non procul à Carthagine apparuiſſe, eumq́ue in viam reduxiſſe. Auro itaque recollecto in ſubſtantiam tractabilem, Mercurius inde

E Utilitas ipſius Mercurii.

1. Pro congregatione auri vel argenti ex aquis.

inde per alutum exprimitur, & iiſdem uſibus adhibetur. Aurum verò igne liquefit, & ſic redit ad ſuam priſtinam continuitatem. Quod itaque à Mercurio, hoc eſt, meipſo, multum auri hoc modo recollectum ſit, quod aliàs neglectum abiiſſet, & ad nullos uſus hominum perveniſſet, ab experientia patet. Hæc utilitas excedit omne precium. Eodem modo argentum ex mineris Peruanis contuſis & mixtis cum argento vivo colligitur incredibili copia, ut conſtat ex relationibus eorum, qui viderunt & tractârunt ipſi, cujus tanta eſt copia, ut omnem theſaurum excedat. Similiter aurum ex quibuſcunque pulveribus in mola tritis, hoc artificio, ſi quid adſit, elicitur, ut Mercurius percurrendo, tanquam medius ſequeſtrator ibi fiat. Poſſet quis exiſtimare, quod hæc utilitas Mercurii vehementi ignis expreſſione ſuppleri poſſit, ut liquefieret, ſed in hoc fallitur, quia propter terreæ ſubſtantiæ copiã, cui atomi auri vel argenti admixti ſunt, nihil igne congregari poſſet. Ad inargentationẽ ac inaurationem quoque ego Mercurius adhibeor; quia ſine me nihil inaurari poteſt: Cauſa eſt in ſimilitudine meæ ſubſtantiæ cum auro vel argento: Et hæc utilitas non eſt minima; quamvis homines magis ad oſtentationem agenteis aut aliis pro aureis utantur, & ſic me nolentem ad ſua commoda vel pompam adhibeant: Ad alia mechanica opera permulta adhiberi poſſum, ut à quibuſdam ad piſcationes propter lucem meam & ſplendorem; ab aliis ad armorum, automatûmve pondera mobilia, quæ ſingula inculcare, non eſt hujus loci. In medicina verò maximam utilitatem præſto hominibus, dum vel cum auro, vel aliis corporibus (non tamen corroſivis aut noxiis redigor in pulverẽ, qui purget humana corpora. Hic pul-

2 Pro inauratione & inargentatione metallorum.

3. Pro mechanicis operibus.

4. Pro medicina humana.

vis debilè præparatus, ut Aurelii nomen & omen habeat, eſt Panchymagôgon, de quo ne abſque ſingulari Medicinæ practicæ documento hæc diſſertatio terminetur. En Arbiter circumſpecte, nonnulla hic in tuum, aliorumque hominum, commodum tradam; *Primò de viribus Aurelii hujus pulveris: Secundò de doſi & modo administrationis: Tertiò de ejusdem operatione mirabili dicturus. Primò, ad vires: Omnibus morbis & affectibus, qui ab humorali cauſa vel antecedente vel continente, generati ſunt, unicè convenit; qui cum ſint ferè innumeri, hic non recenſentur, niſi in ſpecie, quod omnes febres putridas, arthritides, tumores, obſtructiones, cujuſcunque partis affectæ eradicet; lucm Veneream, paralyſes, apoplexias mitiores, flatus hypochondriacos, pallores & fœdos colores virginum, icteros, cachexias & hydropes incipientes, calculos renum & veſicæ revellendo & evacuando humores deſcendentes quoſcunque, optimè percuret: ſive ſint flatus, ſeu phlegma, ſeu bilis, ſeu melancholia, aut ex iis mixta materia: In podagra auxilium eſt ſaluberrimum; quæ ſufficiant, cum ſub hoc ambitu centeni fortè morbi ſint comprehenſi, iisq; communiores & frequentiores: In fluxibus, inflammationibus & ſimilaribus affectionibus, ſectione continui & hujuſmodi aliis uſurpari quoque utiliter poteſt, in quibus multum proderit ſemper, nec unquam nocebit: ſed in ante dictis præſentaneam opem, Deo dante, præſtat. Secundò, de doſi, quæ eſt grani* j. ij. iij. *uſque ad* vj. *vel plures: communiter* iij. *in pueris trimis, bimis,* ij. *in fortioribus aliis* iiij. v. *vel* vj. *Nam doſis aucta non eſt periculoſa: ratio eſt, quia ſaltem clementer attrahit humores in ſtomachum, ut magnes ferrum, & nihil violentiâ agit: Aſſumitur plerumque cum aqua vel liquore calidæ virtutis, ut ſpiritu vini, aqua cinamomi, aniſi, vitiæ, ardenti vel alia: præſertim in morbis non ſummè calidis per ſe, ut febre ardente, calida intemperie hepatis vel inflammatione, in quo caſu*

cum

cum aqua frigida, cardui benedicti, endiviæ, vel etiam vino Rhenano aut alio liquore, cibi vel linorum, rectius ſumitur; hoc modo: in liquoris cochl. j. ponatur una doſis, & bene mota cum digito, ebibatur, ut deſcendat in ſtomachum: ſi quid in cochleari vel faucibus adhæſerit, cum eodem liquore eluatur ſuperbibendo, donec deſcendat: Idq; mane in lecto calidè ſe tenendo, ſi adſit morbus, nec ſuper dormiendo, nec bibendo aut edendo; aliàs extra lectum, etiam poſt tractando ſua negotia: quidam, ut melancholici aëre ſereno, egredi poſſunt, & aliàs ſani; Datur abſque noxa omni ætati, ut pueris bimis & trimis: & ſenibus, in quibus tamen videndum, ne quid nimis moveat; ſi abundantes ſint materiæ; in pueris non item. Tertiò, operatio hujuſmodi: Aëre calido, & calidè ſe gerente ægro vel aſſumente cum calido liquore, ſi ſit materia abundans bene operatur & copioſè: econtra aëre frigido, & ſe non gerente calidè ægro, nec cum calidæ virtutis vehiculo, nec materia exiſtente copioſa, parùm, minus vel etiam nihil operatur: Si quis mox ſuperdormiat, vel bibat, vel comedat, vel cum pilulis mixtum pulverem, unde ſe extricare nequeat, aſſumpſerit, & ille paulum operationes ſentiet: Hoc autem ſemper verum, ſive multum, plurimum, parum aut nihil operetur, nunquam nocebit. Non enim habet naturam aliorum purgantium vehementium, quæ ſi nihil operentur, damnoſa ſunt. Communiter autem hæc eſt operatio: Poſt aſſumptionem hujus pulveris cum liquore accommodato, ſi affectus eſt ex phlegmate vel cruda materia, hæc craſſa, tenax & viſcoſa mox attrahitur ex venis meſeraicis & proximis viſceribus in fundum ſtomachi, ubi medicina ſita eſt; cujus ſi aliqua notabilis pars ibi ſit coacervata, levis nauſea ſupervenit, quæ ſi accreſcat, quaſi appetitus vomitionis ſuboritur; quo urgente & ſputatione oris frequenti accedente, omni conatu expuat & vomat, quantum poteſt, etiam digito in os ingeſto: Atque hac ratione per vices ventriculo evacuato, omnique

mníque materia egeſtâ conſervatâ in vaſe: donec nullum deſiderium ſit comitionis & ſputatio frequentior ceſſet, animadvertetur, quod interdum j. ij. *vel* iij. *libræ materiæ peſſimæ abſque magna anguſtia leniſſimè, quoad fieri poteſt, eductæ ſint, unde mox allevatio patientis ſuboritur: Ceſſante omni vomitionis nauſea & ſputatione, cibi vel potus calidè dentur: Si materia ſit copioſa & craſſa, cerevisiâ vel vino, aliquid zinziberis maceratum vel coctum indatur: Quod ſi morbus ſit calidus, & multum bilioſæ materiæ, operatio eſt aliquantum diverſa: Sic ſi materia melancholica ſit abundans. Hæc enim ferè ſolummodo per inferiora; Reliqui humores per ſuperiora & inferiora educuntur: Ubi hæ cautiones notentur: quod in fœminis vel ſenibus cachecticis, vel lue venerea obſeſſis ſemel detur tantum; & cum modis calidis, ut prædictum, atque deinde expectetur, donec ceſſarit hæc operatio; poſt iterum, niſi morbus ceſſarit, dari poteſt, idq; ideo, ne humores copioſi nimis aſcendant ad ſuperiora, quod ſi fieret, & ſuperdormiretur, aliquid moleſtiæ in faucibus humores illi putridi excitarent, qui tamen gargariſmo quocunque abſtergente, ut ex vino, bolo Arm. melle, aluminéque coctis per ſe vel cum herbis, veron. menta, plantag. &c. eluuntur & educũtur. In melancholicis morbis ſæpe repeti debet, & picis inſtar per alvum educet humores:* Quo uno medicamento clementi, tuto innoxio & efficaciſſimo, tanquam Panchymagogo optimo, & ſanis in præſervatione, & ægris in curatione omnium ferè, quos dixi, affectum inpoſterum uti poteris, atque hac quoque gratia non minimum mihi deberi honoris, poſtquam ſæpè expertus fueris, ipſe fateberis. Quod autem per ſublimationem cum ſalibus in venenum, quod ſublimatum propriè vocatur, aut per abſtractionem & reinfuſionem aquæ fortis ſeu ſeparatoriæ cum eodem Mercurio, in rubeam ſubſtantiam, multum quoque venenoſi-

tatis à fœcibus deleteriis iſtius aquæ retinentem, quæ præcipitatum vulgò dicitur; tranſeo, id non malitiæ meæ naturæ, at permixtis ſalibus & hominum abuſui aſſcribendum eſt. Mercurius enim ipſius peſtis & multorum malorum alexipharmacum eſt, quod hinc patet, quia in illis locis ubi Mercurius effoditur, & quotidie tractatur (ut in Hiſtria) peſtis rariſſimè graſſetur. Admiſcetur quoque emplaſtris ad ulcera & phthyriaſin abſque noxa. Imò ab aliquibus datur interius cum conſerva roſarum permixtus pueris contra vermes; unde innoxia ejus eſſentia maximè conſpicitur. Verùm ad alia propero: Tantum de me ipſo ſufficiat, dum ſum adhuc in mea cruditate & fluxu. Verum quando in ſemimetalla à natura tranſmutatus ſum, ut in tutiam, biſmutum, antimonium, zinkium, maximam præſto utilitatem homini: Quicquid enim his acceptum refertur utilitatis, id & mihi, qui illorum parens exiſto: Tutiæ in medicina oculorum excellentia eſt, inque ulceribus cancroſis, & latone ex cupro faciendo: Ex reliquis mixtione cum aliis, aut per ſe, variæ & operum medicinalium & colorum ſpecies reſultant, quæ hic recenſeri nec poſſunt, nec debent, cum ſint innumeræ: Unde quanta utilitas artificibus proveniat, æſtimari non licet: Quot hinc opifices, mercatores, Chymici & Medici lucrum capiant, vix credibile dictu: Ad ſecundum ramum tranſeo meæ propagnis, nempe plumbum, ſi & hoc ante dictis adjecero. Antimonii uſum in medicina & chymia eſſe tantum, ut ingenti volumine à me tradi vix poſſit, de quo cum alii ante hac integros tractatus ediderint, illis potius acquieſcam, quàm ut vel dicta dicam, vel dicenda non ſat dignè proferam, ratione temporis anguſtiæ. Plumbum verò maximum uſum habet

De ſemimetallis.

11. De plumbo, ejusq́ utilitate. in officinis metallicis, ubi argentum, aurum, cuprum, aliæve mixturæ abſque plumbo non poſſunt purificari aut diſgregari ab invicem. Plumbum enim liquefactum naturam Mercurii retinet, ut congreget omnia metallica in ſe fluxibilia, & inter ea aurum & argentum, in igne fluxionis vehementi, à quibus deinde ſeparatur per cineritium vel cupellam, & ſic trahit ſecum magis cognata, ut cuprum & alia admixta, remanente auro & argento intacto ſupra teſtam ſeu cineritium: Ex aduſto plumbo fit lythargyrium, quod emplaſtris & unguentis magna utilitate adhibetur, veluti & plumbum ipſum vel in pulvere, aut contusâ plumbei mortarii ſubſtãtiâ, vel laminis ipſis exterius multis affectibus utiliter applicatur: In laminis, ganglio, labiis tumidis, renibus inflammatis & ſimilibus: In ſubſtantia contuſa, cancroſis ulceribus & fiſtulis quibuſcunque. Uſus præterea plumbi eſt multiplex, ut inde fiant tecta, vaſa aquatica, canales ad aquæ ductus, pondera. Inter cætera, plumbeæ glandes quid præſtent in bellis, notius eſt, quàm ut dici debeat: An hæc utilitas, an damnum? An dolus? An virtus? Sanè abuſus eſt, quo tamen homines vix carere poſſunt, in ſui defenſionem & commoditatem: Quod itaque bella gerantur, & glandibus plumbeis proſternatur hoſtis, id omne ex Mercurio petitur, hoc eſt, im plumbum mutato. Quod medicamenta varia, aliàs incurabilibus malis adminiſtrentur tam interius, quàm exterius, ut lui Venereæ, phythyriaſi, vermiculationi ulcerum, oculorum inflammationibus & renum, cancro, fiſtulis & innumeris aliis, id Mercurio & ex eo ortis, ut dictum, tutiæ, lythargyno & plumbo aſſcribendum venit. Nec mirum, quod idem Mercurius ſit bellator & Medicus, cum & Apollo uterque habeatur,

&

& Pallas ubique & arti & Marti addicta ſit. Noſti enim, quod Poëtæ dicant, Caduceum Mercurii eſſe diverſiſſimarum virium; & animas hominum è corporibus educere, & in eadem remittere; ad infera loca vocare & inde revocare. Hoc maximè eſt conſpicuum in eo, quòd nunc medear hominum morbis, eosque à morte liberem in medicamentis dextrè uſurpatus, nunc iiſdem venenum ſim & exitium, ut in bellis, & aliàs: At ſi quid ex me mali oritur, id humanæ præpoſteræ voluntati imputandum eſt, quæ optima quoque in venena vertere poteſt. Ad tertiam progeniem meam progredior, nempè ſtannum: Hoc nobiliori facie apparet, quàm plumbum, ideoque ad nobiliores uſus adhibetur, quàm illud. Ex eo enim vaſa omnis generis, patinæ & orbes conficiuntur ad edulia & cibos hominum aut medicamenta continendum: Ex eo editur & bibitur apud plurimas gentes, quæ id æſtimant ſatis magni precii, nullius noxæ & eximii ſplendoris ſeu pulchritudinis. Anglicanum imprimis nobilè eſt, argento proximum, unde & habetur in delitiis: Non inficit quicquam ſuo ſulfureo contagio aut fumo, ſed illæſum ſervat, quodcunque ipſi ſit creditum ſeu incluſum: Ut itaque plumbum tecta hominum externa, ſic ſtannum interiora ædium & culinam decorat, illud defendendo à pluviis, hoc pro cibis conſervandis ferculis: Illud ad vaſa & inſtrumenta groſſiora, hoc ad ſubtiliora adhibetur, ſed utraque licet debili ſubſtantia & corpore uſibus hominum, quoad poſſibile, inſerviunt & proſtant: De utilitate ſtanni in medicina & coloritiis figulorum, quæ non minima eſt, hic brevitatis gratiâ nihil adjicio, & ad quartum ramum deſcendo, nempe cuprum calidioris naturæ & roboris, quum antedicta. Hujus quoque

III. De ſtanno, ejusq; uſu.

IV. De cupro, ejusq; utilitate.

H 2 mul-

multiplex uſus eſt in variis inſtrumentis hominum, iis potiſſimum, quæ firmitatem, capacitatem cum pulchritudine ſimul habere debent, qualia ſunt in igne duratura ahena, labra & vaſa, cuparum inſtar magna, ad rerum multarum coctionem, ut panificii, cereviſiæ & ſexcentas alias operationes, quas recenſere eſt impoſſibile: Utenſilia ſupellectilis ex cupro aut latone factæ ſunt innumera, & omnibus ante oculos ſita ſatisque cognita; quæ præterimus: Duo ſunt inprimis, quæ hîc admiror, ex cupro facta inſtrumenta, quæ omnibus aliis videntur anteferri & prævalere; nempe Campanæ & Tormenta bellica: Campanis tempus diei & noctis diſtribuitur, horæque ſingulæ, ſeu duodenæ, ſeu quaternævicenæ poclamantur, ut non opus ſit Stentorea voce, uti ad congregandum populum, aut alia indicanda; quia campanæ hoc præſtant maxima voce & ſono, immenſique; quaſi rictus horrido boatu. Quanta utilitas ſaltem ex campanis horariis per totum Chriſtianum orbem (de barbarie enim Turcicâ mihi non eſt ſermo, quæ campanis non utitur, ne Tyrannis ejus populo harum ſonis convocato reprimatur) proveniat, vix æſtimari poteſt; Non opus eſt, nunc Cynocephalum, ut olim in Ægypto, obſervare, qui mictu ſuo ſeu urinæ emiſſione diem in duodecim æqua ſpatia diſtribuat; inque totidem noctem, cum campanarum voce hæc ſpatia nunc auribus paſſim notentur & audiantur tam de nocte, quàm die. Non neceſſum quoque, ut diem ad clepſydram ſeu aquæ fluxum, ut olim Romani, metiamur; quia campanæ omnibus hiſce inſtrumentis nunc requiem & ſilentium imponunt; ſolæque diei tempus, quodcunque ſit, indicant: Ne de galliciniis nocturnis, anſerúmve clangoribus, umbris decem pedalibus meridianis,

ridianis, & aliis ejuſmodi noctium & dierum obſervationibus quid dicam; quæ ubi nullæ ſint campanæ, adhuc valere poſſunt; aliàs minimè. Præterea eædem campanæ convocant plebem ad concionem ſacram, comitia, ſpectacula, funeralia, & ejuſmodi alia: Ad concionem ſacram; ut ſacris quiſque approperet, & Deo ſerviat; Ad comitia, ut concurrat ſive contra hoſtem, ſeu feras, ſeu prædones, ſeu ignem aut aquam, aliorùmve ejuſmodi damna communi manu & ope avertenda & profliganda. Campana enim tanquam præco proclamat ſingulis, quid agendum, aut non; cui reſiſtendū, auxiliúmve præſtandum: Campanis incendium, ut & hoſtis indicatur, & à multis tonitrua diſpergi, aëre moto, creduntur. Officium campanis aſſcriptum, magnis literis carmine Sapphico expreſſum eſt in omnium maxima Germaniæ (& fortè Chriſtiani orbis) quæ Erfurdiæ habetur, centenariorum, ut inſcriptio teſtatur, 275. hoc eſt, 27500. librarum: Carmen hujuſmodi eſt:

Laude patronos cano glorioſâ,
Fulgur arcens & Dæmones malignos,
Sacra templis à populo ſonanda Carmine pulſo.

Mercurius itaque, qui in campanarum ære ſonum & materiam præſtat, omnia hæc facit, hoc eſt, ad ſacra convocat & alia dicta munia obit. Unde non immeritò magnam ſibi coronæ Regiæ partem adſciſcit. Quæ ante dixi vulgaria æſtimari poſſint; & ab aliis quoque imitanda aut ſupplenda, quæ jam protuli, ſoli Mercurio ſunt propria. Nam ex ligno, lapidibus & vitro campanam nemo faciet; niſi fortè ſurdis & paralyticis, qui nec ejus ſonitum audiant, nec ad illum ſe moveant. Mercurius eſt, qui mutus per ſe, pulſatus clamet; qui claudus, alios ſalire faciat & in unum convocet. Hic æ-

dituus eſt Eccleſiæ & præco fori. Hic malorum inſtantium index eſt, ut quiſquis accedat aut recedat. Hic eſt, qui ad cœnam famelicum & latrantem ſtomachum vocat, qui ſomnolentos & pigros ad labores & ad panem lucrandum exuſcitat, qui mortuos ſepulturæ mandandos indicat, & ultimum valete mundo proclamat. Verùm ne campanas nimium morer, ad tormenta bellica progredior. Quid hîc dicam, aut quid non? An utilitatem an noxam humano generi hinc exortam magis referam? An ex inferis locis malum emiſſum hoc ſtatuam, an inventione hominum productum? Quicquid ſit, ſi quid hinc mali exoriatur, id neutiquam Mercurio aut materiæ aſſcribendum exiſtimo, ſed ipſius formæ & inventioni, aut potius abuſui. Mercurius enim nil mali in his præſtat, at ſemper ſui ſimilis eſt, ut nulli noceat, omnibus proſit: ſi noceat, id aliis imputandum, qui eum huic uſui adhibent, vel in hanc formam redegerunt & illis mediis adhibitis ad ſatisfaciendum ipſorum voluntati incitârunt. Hinc illa tonitrua & fragores, nec non disjectiones violentiſſimæ per tormenta bellica fiunt. Nam ſi Mercurius ſeu metallica ſubſtantia in formam illam oblongam & excavatam ab utra parte apertam ab altera clauſam, fundatur, tum ad nocendum illa materia apta eſt, prius minimè. Nec verò tum nocet, niſi pulvis ille horrendus, pyrius vocatus accedat, qui ſi inſeratur huic machinæ & incēdatur; En cum humana violentia & celeritate ignis inde prorumpens ad nocendum aptus eſt, nec tantùm per ſe, niſi & globus ex metallo & lapide impediat igni exitum, à quo fulminis inſtar propellitur in quæque obvia, non ſine maximo damno: Si itaque metallum maneat in ſua materia, nil nocebit, ſi forma tormenti ex eo fingatur, neque tum, at ſi

tertium & quartum inſeratur, hoc eſt pulvis pyrius & globus ferreus, adhibito igne, tum primum damna obviis infert. Imò quod omnis noxa eſt in pulvere illo, patet hinc, quod eo per cuniculos actos ſub caſtellis & oppidis ſuppoſito & incenſo, omne ſuppoſitum in aërem elidatur cum horribili fragore & impetu. Hæc eſt una illa res à Monacho inventa, quæ plures hominum myriades conſecravit Orco, quàm omnes reliquæ machinæ bellicæ antiquæ, baliſtæ, catapultæ, onagri, arietes, arcus, jacula, aut ſagittæ, quæ ſaltem ludi pueriles haberi poſſunt reſpectu hodiernorum tormentorum in bello uſitatorum. Quicquid igitur præclarum contra hoſtes Chriſtiani nominis hiſce tormentis præſtitum eſt, id omne tanquam manu & ore Mercurii perfectum eſt. Ego enim in buccas meas accepi globos ferreos aut plumbeos & projeci in hoſtes, ſi ſpiritu illo ſulfureo ſtimulatus fui, tantâ violentiâ, ut multâ illorum millia trucidârim. Flatus mei oris multis exitialis, imò fulmineus eſt, quo proſterno mœnia, valla, caſtella, oppida & munimenta, quæcunque. Variæ ſunt tormentorum formæ ex me concinnatæ, aliæ ex latone ſeu cupro, aliæ ex plumbo, quædam ex ferro; quædam magnæ & ingentes, quædam mediocres, parvæ, longæ, craſſæ, breves & ſubtiles. Hinc & diverſis nominibus ſecundum diverſas formas appellantur; Sunt, quæ mortaria, ſerpentina, moſcettæ, vocentur; ut de reliquis taceam. Ad necem hominum hæc omnia conſpirant, ex hominum, non Mercurii voluntate. Mihi enim utilius videretur, mortariis medicinalia ad hominum ſalutem ſpectantia contriviſſe, quàm lapides tanti ponderis ejaculari, ad eorundem perniciem. Mihi potius inſtrumenta & ſyringas ad incendia ædium aquis immiſſis reſtinguenda

ex

ex metallica materia confeciſſe conſultius foret, quàm ad incendium & deſtructionem iiſdem inferendum. At quia ſic in ſuam mutuam cædem & interitum ruant homines, ego nolens, volens, ut ſervus, ipſis manum carnificis præbere cogor. Ipſi judicent de factis ſuis, meum eſt illorum judicata exequi. Quintum genus meæ propaginis eſt ferrum ipſum, quod Mars, ut Chymiſtis dicitur, ſic Marti omnem vim præſtat & ſuggerit, hoc eſt, machæras, frameas, gladios, bipennes & ipſas bombardas bellicas. Ferrum ex metallis, viliſſimi precii, uſus maximè neceſſarios hominibus confert. Hoc non ſolum bellatoribus & ſtratiotis in manus rapitur ad ingerenda aliis mala, ſed & oppreſſis & coactis ad defendendum ſeſe, auxilio venit. Ferro ſe cingit prædator, imò & viator, ut ferro ferrum, vi vim repellat & reſtringat. Ferro utuntur Tyranni contra omnes ſibi non ad nutum facientes; Quin & Reges, Principes contra hoſtes & ſceleratos; nec non judices pro bonorum tutelâ & malorum pœna. Ex ferro inſtrumenta & vincula firmiſſima fiunt ad innumeros uſus, quos omnes indigetare eſt impoſſibile. Hoc machinæ quæcunque libratoriæ, currus, naves, & ipſæ ædes inſtruuntur & veluti brachiis robuſtis compinguntur. Ferrum eſt, quod fabricat omnia organa fortiora hominum, ſine quibus illorum vita vix bene produceretur. Ex eo fiunt clavi & mallei, ſecures & incudes, & quid non per illa inſtrumentorum inſtrumenta? Ferrum depuratum chalybs eſt, qui arte ex eo conficitur, & diviſor eſt omnium rerum duriſſimarum, lignorum, ipſius ferri, cornuum, lapidum & ſimilium. Ex ferro fiunt ſerræ & clauſuræ omnium portarum & theſaurorum. Quod nulli creditur, hoc unius fieri cuſtodiæ facilè committitur: hoc

V. De ferro, ejusq; uſu.

hoc arcet fures & manus petulcas; hoc detinet fugæ parata & prædæ, imò & ipſos homines ſæpe in compedibus. Cathenis ferreis viæ redduntur tutæ contra violentiam, ut & fluvii. Ferro pontes, turres & ipſæ pyramides muniuntur, ut perdurent. Quid cultro homini utilius? quid acubus ad conſarcinandum accommodatius? quid forcipe, forpice, tripode & ſexcentis ejuſmodi inſtrumentis hominis uſui convenientius? Hæc omnia ferrum ſuppeditat, & ferrum ipſum Mercurius. Ex Mercurio igitur conſtanti hæc omnia fiunt, & hæc ſingula firmantur. Unde ſimiliter medicinæ haud paucæ conficiuntur; ita ut dubitandum ſit, an plures vires in re medica, quàm politica ferrum habeat, an precioſiores? Nihil autem precioſius, quàm humano corpori ægro adferre opem præſentaneam & intus aſſumi, quod indicium ſanè erit, quod nullius ſit noxæ in propria natura. Aſſumitur autem ferrum ſæpiſſimè in electuariis, conſervis, ſyrupis, decoctis & aliis medicamentorum formis intra corpus humanum, non ſolùm abſque damno, ſed etiam magno cum emolumento. Ut enim, ſi abuſus ei accedat & hominum vis impulſiva, ſcindit, pungit & penetrat extrinſecus; ita ſi in medicinam reducatur, aperit & obſtructiones tollit venarum & viſcerum ſua vi penetrativa & attenuativa. Hinc cachexiæ & pallori virguncularum ſæpiſſimè medetur, iiſque floridum genarum colorem reparat & iterum conciliat; Ut non fruſtrà Mars Veneri gratiſſimus fingatur. De ferro autem volens pauca profero, quia & notiſſimum eſt & in omnium conſpectu & uſu, ut quilibet ex hiſce alia, ex dictis dicenda ipſe colligere poſſit. Nunc ad pulchriorem progeniem me confero, nempe argentum, quod eſt ſextum in hoc ordine, metallum ſa- *VI. De argento, ejusq; utilitate.*

I tis

tis perfectum & precioſum. Hoc quàm ſit in omnium amore, admiratione & precio, non noſtrum eſt indicare, utpote notorium. Quanto labore, periculo & ſtudio id ex infimis terræ meatibus & quaſi clauſtris infernalibus petatur, noverunt illi, qui ea loca luſtraverint, de quibus multa hîc dicere non eſt animus. Hic eſt verus omnium hominum magnes, qui ita eos, eorumque animos, & adhuc magis, allicit quàm lapis ejus nominis ferrum. Hic eſt ille Protheus, qui ſe in omnium rerum formas mutat, & propterea precium earum & menſura ſtatuitur. Hoc eſt copię illud cornu Amaltheum, ex quo omnis generis fructus & dona uberrimè promuntur. Argentum enim cum ſit mutum per ſe, loquitur pro omnibus, & mutos dicaciſſimos efficit: cum ſit immobile ſua vi, omnibus tamen animalibus & inanimatis motum impertit: cum ſit inanimatum & quaſi res mortua per ſe, ipſi homini inter vivos civiliter mortuo, hoc eſt, egeno, vitam ſuggerit, & præterea gaudium, lætitiam, famam, virtutem, honeſtatem & reliqua omnia, quæ vel optari in hac vita poſſunt. Nullum aliud præſentius Nepenthes argento invenitur, quod ex mœſto, melancholico, labori & dolori obnoxio homine lætabundum & hilarem, nec non quieti deditum reddit. Tale medicamentum ut conquirant homines, quomodo ſe macerant, ętatem ſuum terunt, vitam impendunt, bona congerunt, non ſatis à me explicari pro tempore poteſt: Alii in Indias occidentales, alii ad Orientales & ad ipſos Antipodas navigant, novaſque terras & inſulas nunquam non quærunt, argento, aut fructibus argento vendendis feraces: Nonnulli ſeptentrionalibus oris uſque adeò ſe credunt, ut in ipſa glacie concreti, vix ſpem in patriam reditus habeant, aut urſis feriſque aliis præ-

da

da fiant. Quidam ceu viatores celerrimi, totum orbem velis ſuis, tanquam alis, pervolant; ut Jupiter non ſolus aquilas ex Delphis emiſiſſe dicatur, quæ terram circum circa pervolàrint, & in unum eundemque locum redierint, cum ternæ ejuſmodi aquilinæ naves idem iter ultima hac ætate apud homines abſolverint, idque potiſſimum eam ob cauſam ut Argentinum illum celeberrimum, prope fretum Magellanicum, fluvium cernerent, indeque dona ampliſſima reportarent, quod quibuſdam feliciter ceſſiſſe notum eſt. Argentum eſt, inquam, quod petitur & congeritur ex alio in noſtrum orbem, ex quo Regina pecunia naſcitur, quæ genus & formam non ſolum, ſed & potentiam, favorem, amorem, ſapientiam & doctrinam hominibus donat, ſive jure ordinario ſeu præpoſtero. Ordinario, quia hoc Reges, Principes & reliqui Magiſtratus legitimè regnant & juſtitiam exercent, non ut illud lucrentur, ſed per illud ſubditos regant. Prepoſteris, quia hoc multis dat potentiam, quibus jus negat, favorem, qui odio digni potius eſſent, qui amorem perſequendi, ſapientiam, qui revera ſunt ſtulti, & doctrinam, qui inerudìti. Mercurius eſt, qui in argento ſatis ex candore & ſplendore, aliisq; proprietatibus elucens, omnibus hactenus dictis imperat. Detur, nullum unquam fuiſſe Mercurium. Ergo nec argentum, nec aurum, nullaq; metalla alia. Mercurius Hermaphroditus, & mater & pater eſt metallis perfectis, licet ad imperfecta quoq; ſulfur extraneum à Mercuriali natura aſſumat. Nam quod ſulfur in perfectis exiſtere dicitur, nihil aliud eſt, quàm ipſius Mercurii portio maturior & magis cocta, nihilque magis habet commune cum ſulfure vulgari, quàm nomen. Ad ſeptimam primogenitam mihi prolem, aurum, nunc ſermo-

Magellani Draci & Candeni.

VII. De Auro, ejúsque utilitate.

nem converto, quod omnibus numeris magis abſolutum eſt, quàm argentum. Hoc enim veluti ſexus maſculini illud fœminei habetur. Maſculis autem debetur Primogenituræ jus, non fœminis: ſi ſpectes pulchritudinem & ſpecioſitatem hujus mei filii, auri, nihil eo amabilius, aut politius animadvertes: ſi durabilitatem & conſtantiam, nihil in igne fortius, animoſius, aut minus cedens, ſi precioſitatem, nihil dignius aut precioſius; ſi pondus, colorem, extenſionem & ſubſtantiæ tenuitatem, in omnibus hiſce palmam obtinere præ aliis facilè concedes, in cujus laudes, tanquam mundi terreſtris poſt hominem epitomes, ſi excurram latius, nemo propterea jure mihi ſuccenſeat, niſi fortè ille, qui ſenſu communi deſtituatur. Pulchritudo in auro tanta eſt, ut non immeritò Solem cœleſtem dicatur repræſentare, qui omnium rerum creatarum pulcherrimus & homini utiliſſimus eſt; quippe ſine quo ille in perpetuis tenebris verſaretur; & negotiorum, rerumque humanarum confuſio fieret, ut unum ab alio diſcerni non poſſet: Ita & aurum niſi res humanas luce ſua quaſi illuſtraret, illæ nullo rerum habito diſcrimine, penitus confunderentur. Hinc ab omnibus unicè appetitur aurum, tanquam pulchrum & precioſum. Quod pulchrum enim amicum eſt, & uice verſâ, veluti Theog. teſte, Muſæ in Cadmi nuptiis Epithalamion hoc cecinerunt:

Ὅττι καλὸν φίλον ἐςὶ,
Τὸ δ' ȣ̓ καλὸν, ȣ̓ φίλον ἐςί.

Imò pulchritudo regnum abſque ſatellitio, victoria abſque diſſenſione & monſtrum ſine vitio naturæ dicitur. Quæ cum auro inſit, hinc illud regnum victorioſum obtinet in omnes ſibi faventes & deditos. Ideò nullus diſſentit ab eo, qui ipſi primas non conferat; nullus ipſi contra-

contradicit appetitu, qui ipſi non maximè obſequatur. de durabilitate & conſtantia in igne aliisque elementis inprimis gloriari poſſet, tanquam heros aliquis invictus & Hercules Alexicacus: Omnes pugnas Anthei validiſſimè ſuſtinet, ut & Acheloi, ſive illi ſe in ignes, ſeu aquas, ſeu alias formas vertant:

Uni ſiquidem nil depertt auro

Ignibus,

ut Poëta inquit. Ideò non immeritò æternitatis in terris ſymbolum eſt & imago aurum non corruptibile, ut reliqua omnia ex quatuor elementis compoſita corpora. Hic eſt verè Terræ filius Centimanus, qui quotieſcunque matrem ſuam tangat, vires revocat, & ſubinde novas acquirit. Hic eſt cygnus ille invulnerabilis, qui nec Herculi, nec Marti cedit, clypeo tectus tutiſſimo. Apollo jaculator & morbicida, miles, auratæ militiæ Eques, Æſculapi pater, & Medicinæ inventor eſt hic idem, cui nec aliquod genus morbi aut monſtri reſiſtat, cui nihil in terris par ſit, excepta animâ humanâ: In auro omnia ſunt temperatiſſima, etiam contraria in ſummis qualitatibus, ita ut calor non excedat frigus, nec ſiccitas humiditatem, ſed humor ſiccitatem & frigidas æſtum coërceat, & ad æqualitatem anaticam qualitatum reducat, quæ eſt ſumma temperies. Quod de temperatiſſima regione ultra Tropicum Cancri ſita, in occidentali parte mundi, narratur, ubi nec gelu, nec æſtus, nec pluviæ, nec ſiccitates ſint immodicæ, nec morbi infeſtent homines, nec inſecta aut venenoſa nociva habeantur, unde ſenium incolis longævum accidat, tanquam in Paradiſo, aut campo Elyſio viventibus, hoc verius de temperatura auri affirmari poterit, in quod nec corruptio, nec mala conſtitutio ulla incidat. In hoc

elementa manent non mutata, ſemper in ſuo vigore & temperie, queisq; nulla caries aut putrefactio obvenit. Unum non excedit alterum dominatu, nulla ibi rixa de ſuperioritate, nec querela de contemptu: Omnia ſunt unum. Quod de pollicis humani oſſiculo, Hebræis Luz dicto, quidam (quàm verè, neſcio) affirmant, id nunquam deſtrui vel abſumi poſſe, ut reſurrectionis humanæ quaſi ſeminium ſit, & fundamentum ſeu rudera fabricæ ſupra illud conſtruendæ, ſi ita ſe habet, ſanè cum auro incorruptibili quid affinitatis & occultæ naturæ obtinet; quod etiam in calvaria intra ſuturas & dentes mortuorum inventum ſcribit Albertus Magnus. Hinc abſque dubio homo manibus aurum tractare geſtit, tanquam documentum ſuæ reſurrectionis & æternitatis poſt mortem futuræ, oculis animoque ſitit & toto pectore proſequitur, cupiens ſeſe, ſi digeſtibile foret, eo paſcere & reficere, necnon veluti gratiſſimo pignore viſcera inaurare, quemadmodum de Arthemiſia, Cariæ reginâ legitur, quod Mauſoli ſui mariti demortui vivum ſepulchrum & Mauſoleum eſſe maluerit, quàm paſſa ſit, eum extra ſeſe computreſcere. Hic amor auro exhibetur ob virtutem nec non pulchritudinem, quæ eſt maximè durabilis. Virtus, quæ ſit in auro, præter in igne conſtantiam, à Medicis ſatis innuitur, qui illud in foliis, limaturà aut pulvere cum electuariis, conſervis aut ſyrupis ſuis propinant ægris, tanquam ſingulare cordis reſtaurativum, in quo nec falluntur; quia ratio id dictat & experiẽtia atteſtatur. Quomodo enim non in illa domo, quæ adeò firmiſſimè clauſa eſt undiquaque, ut vix ullus humana vi, niſi rariſſimus intrare poſſit, magnalia & myſteria medicinæ abditiſſima continebuntur? Videmus, quod Creator tritici medullam

cortice

cortice & paleis texerit, nucem putamine, caſtaneam denſo & rugoſo, amygdalum lapideo tegmine cinxerit, quæ res homini ſunt maximè utiles. Fruſtra itaq; aurum tam firmo clauſtro & robore donaſſet, niſi quid intus longè precioſius, quàm in nucibus iſtis tegeretur: Τὰ κάλα, δύσκολα; pulchra, difficilia & rara, cara ſemper æſtimantur. Idem de auro verum eſt. In homine ſubſtantiarum omnium tam ſpiritualium, quàm corporalium imago eſt veriſſima, in auro, hominis. Hujus cor aurum reficit, dum à mundi corde ſeu ſole vim genitalem infuſam gerat, quam accepit à Sole cœleſti, ut reddat cordi humano, tanquam ſoli microcoſmi. Hinc conſenſus eſt omnium gentium in auro, uti rerum menſurabilium mēſura & preciabilium precio; in quo omnes nationes, etiam linguis differentes, tanquã in libro aperto legunt dotes rariſſimas, propter quas cæteris reb. meritò anteferri debeat. In aureo hoc libro ſtudēt Chymici, Medici, Politici & ferè quotquot ſunt mercatores & mechanici; verùm alii vix primam ejus literam accuſandi, alii vix alteram verè præcipiunt, pauciſſimi ad myſteria omnium quinq; penetrãt. Cambiatores & Euclones, ejus maximè amantes & abundãtes, nil niſi in ſuperficie hęrent, & ſplendorē ejus admirantur, veluti pueri quid rarũ & coloratum in fabis reperiētes: qui hoc probè nôrunt, quòd eo ad merces coëmēdas, cibaria & delicias cõparandas utendũ ſit, prætereà nihil. Ideoq; parũ differũt à brutali genere, quod fœni uſum optimè uovit, at qd & unde ſit, omnino ignorat. De põdere & reliquis auri accidētibus nihil addo, qa alibi copioſè referũtur. Hæc itaq; omnia, quę diſperſim attigi potius, q̃ explicavi, ꝓ dignitate, facilè auro prærogativam præ omnib. precioſis rebus (aliàs quidem caris propter raritatem, non autem ob medicinalem

cinalem virtutem, cum quædam & venenoſæ ſint intra corpus humanum, ut adamas ipſe) addicabunt, atque ſic mihi, qui auro omnem hanc vim præbui, tanquam filio, Regnum mundanorum omnium ſub homine exiſtentium, aſſcribent & confirmabunt. Unum adhuc ſupereſt beneficium, quo ego Mercurius humanum genus hiſce ſeculis beavi & feliciſſimum reddidi, quod tantum eſt, ut potius omnium ante dictorum ſervitiis carere deberet, quàm hujus commoditate, idque eſt opus typographicum, ſeu typi ex metallica materia, utpote plumbo, ſtanno & antimonio, fuſi & concinnati. Horum ea eſt utilitas, ut nullis præconiis aut laudis commemoratione ſatis celebrari unquam poſſint. Germania non minùs, quàm Ægyptus illa antiqua, inventrix & cultrix ſubtiliſſimarum artium, hoc munus repperit prima, & cæteris orbis partibus communicavit: Unde Philippus Beroaldus quodam Hendecaſyllabo:

Typographia.

Germania typographiam invenit & dedit.

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetuſtas,
Libros ſcribere, quæ doces premendo.

Eadem machinas bellicas invenit & miniſtravit.

Eadem Germania horrendum illud tonitru pyrii pulveris & tormentorum, de quibus jam ante meminimus, invenit & foris dedit, ut prætercam innumera alia in artibus mechanicis inventa: Unde taceant lividi illi & iniqui cenſores, ne dicam mendaces, qui hæc dona à nobis, quoad materiam, à Germanis, quoad formam, producta & profecta, alteri neſcio, cui materiæ aut genti aſſcribere conentur; quaſi illi ſuis nugis factum infectum, album nigrum, & contra, reddere poſſint, nugatores peſſimi: Hæc duo munera Arti Martique dicata, tantæ ſunt dignitatis, ut reliqua omnia, ex Metallis parata, longè antecedant: Priori illo artificii genere inſtructi

ſtructi

ſtructi bini in uno die plus literarum exſcribere poterunt, quàm bis mille alii, quæ res admiratione & ſtupore digniſſima eſt: Non opus itaque, ut Anſer mihi jactet pennas ſuas, aut Vitulus & Ovis pelles, Apisve ceras: Ego omnes illorum conatus hoc uno invento ſtratagemate longè prævenio, & poſt me relinquo: quia ego Mercurius metallicus, ſi ſaltem figuras literarum ſeu typos in me recepero, ſolus hæc omnia effecta dabo, dummodo Linum cum chartis ſuis & atramento oleoſo mihi ſervilem operam præſtet. Ipſe ego ſum Mercurius metallorum pater, ſub quo illa omnia militant, & ſua officia homini præſtant, quodlibet pro ſuo talento & munere: Alia ex his palatia Regum & Principum exornant, inque iis excubias agunt: alia ad diverſas functiones, ut militiam & mechanicas operationes adhibentur, utpote calidiſſimo corpore præſtantia. Nonnulla ſervitia in officinis pharmacopolarum & culinis peragunt. Quædam in ſubterraneis locis & tectis vigilant pro hominum uſu & incolumitate: Atque ego omnibus amorem præbeo, præſertim primogenito Auro, poſt Argento, dehinc ſtanno, hinc cupro, poſt plumbo, denique ferro. Pro diverſis enim quorumque ingeniis illis faveo & applaudo, utpote naturæ meæ ſimilioribus. Nam tria illa ultima multum de natura ſulfurea à me aliena obtinent, quartum ſive ſtannum minus, adhuc minus argentum; omnium minimum Aurum. Quod Scylurus ille Scytharum Rex, qui 80. liberos mares ex diverſis uxoribus ſuſcepit, his omnibus documenti reliquit, ut concordiam foverent inter ſe exemplo haſtilium multorum ſimul comprehenſorum, non frangibilium, ſingulorum autem facilè, id meis quoque filiis ſex numero ſaltem, præter ſemimetalla legitimis, at

longè fortiſſimis, ſi mutuas ſibi præſtent operas, invictis, ſin minus, vincendis facilè, dictum & inculcatum velim. Aurum ſuperiores partes & primogenituræ jus teneat & defendat. Huic argentum ſuccedat, & deinde reliqua, ita ut omnium ſervus ſit Mars ſeu ferrum, duri corporis & magni roboris: Dura ne conterant mollia, & hæc illis cedant: Sic nobiliſſimum temperamentum ex his omnibus fiet, quod non ſit nimis durum, nec molle, nec calidum, nec frigidum, ſed moderatum, & ad caliditatem & humiditatem inclinans, in qua temperie vita humana conſiſtit, nec non primogeniti mei forma & anima, quam ſi quis ex aliis, in quibus potentiâ eſt & deliteſcit, poterit extrahere, & cum aliis filiis meis, aut meipſo conjungere, tum idem jus, quod nunc eſt primo, ad reliquos perveniet. Eſt enim omnium meorum filiorum una natura reſpectu mei, at valdè differens ratione educationis: Nam nigrum illum duriſſimum, quaſi Æthiopem, genui in locis nimis calidis & ſiccis, in quibus ſulfureus fumus in magna copia erat. Hinc ille aduſtus eſt, & facie nigellus, minimumque mei præ ſe fert, quoad faciem externam, intriſecus verò in viſceribus lineamenta mei corporis tam expreſsè refert, quàm ullus ex reliquis. Nec verò propterea deſpiciendus erit, quia niger eſt & multū fæculentiæ obtinet. Nam ſi cæteri quinq; aliquando morte perirēt, ille eſſet hæres regni. Huic colore pſimilis eſt ſubfuſco & livido Saturnus, qui ingenio mollis eſt & docilis, at memoria non admodum tenaci. Conceptio ejus facta eſt in loco lutulento & impuro, hoc eſt, in utero, phlegmate & melancholia obſeſſo. Unde ſpiritus ejus graveolentiam maximam de ſe mittit, præſertim ſi calefiat. Ad hunc non minima regni portio ſpectabit, ſi ſaltem quatuor ejus fratres an-

Natura Martis.

Saturni.

nuerint,

nuerint, qui ſunt majori authoritate, quàm ille: Nihilominus omnium illorum examinator eſt & ſcrutator; quia proximè ad meam naturam accedit mollitie, à qua tamen ſulfureis fœcibus contaminatus recedit. Natalis tertii mei filii, rubea facie cõſpicui aliquanto felicior eſt; quia ille maturioris eſt texturæ & carnis ſucciplenæ, injuriisque æſtivi aëris perferendis maximè idoneus. Attamen aduſta bile porracea ex rubro vireſcente infectus eſt, & ad omnia officia minus habilis: ſcabie lepræ non abſimili vexatur ut plurimum, ſi calorem ſentiat externum intolerabilem. Inflammationem intrinſecus patitur viſcerum & ſitim graviſſimam. Hic poſt tres alios Regno ſuccedit, quorum duos etſi ſuperet maturitate, tamen ab illis puritate & æqualitate ſeu temperie longè ſuperatur. Omnium docilimus eſt Jupiter, Regiæ prorſus indolis & complexionis, cui nihil deeſt, niſi facies rubicundior & perſeverantia in eſtu ſolari. Ad hunc multorum bonorum redundat, ſi uni ex fratribus ſe ritè copulaverit, ita ut ex duobus una Hermaphroditica corporis conſtitutio fiat. Hic eſt ille, qui juvare poteſt multos, dum rectè agnoſcatur, & non pater pro filio, nec filius pro patre, ſumatur. In quibuſdam hujus pater & filius plus præſtant, quàm ipſe. Hic tamen eſt, ſine quo nepos ab avo regnum impetrare queat, cum id nefas ſit vivente patre, niſi conſentiente. Hi quatuor eo ordine ſuccedent nobis, ſi quando regnum ad alios propagandum ſit. Ex quibus, Arbiter juſtiſſime, pro tuo candore & integritate judicii, facilè diſcernes, quo jure mihi regnum hoc, de quo diſceptatur, debeatur, nempe meritis tum meis, tum meorum filiorum in humanum genus copioſiſſimis; quibus, ſi nihil obtinuero, ac ſententia pro alio quocunque lata fuerit, fortè ex poſteris

Cupri. *Jovis.*

meis non ignobilis ultor hujuſce meæ injuriæ apparebit, qui te repetundarum accuſaturus eſt, noſtrumque jus in integrum reſtitui curabit: Si ferro, ſi auro res gerenda eſt, noſtrarum partium haud pauci adfuturi ſunt. Si machinis bellicis aut tormentis, alióve genere inſtrumentorum, quod juſtitiæ detrahitur, requirendum erit, ſuffragatores quàm plurimos habiturus ſum. Tu ſaltem innue, cui votum hujuſce regni des ac prærogativam, à ſingulis præſentibus affectatam, concedas, ut tandem huic liti & expectationi omnium deſideratiſſimæ finis ſtatuatur, ac toti Reipublicæ Mundanæ quies exoptata inde proveniat. Nos, ſiquidem à vero & juſto mens tua neutiquam ſe deflecti patietur, omni ſervitii genere tibi nunquam non ſumus deditiſſimi, tuíque honoris obſervatiſſimi.

Dixerat Mercurius, & ſilentium per exiguum temporis ſpacium inſequutum eſt. Tum Arbiter, qui hactenus ſingulis dictis attentiſſimè mentem infixerat, in hunc modum loquutus eſt:

ARBI-

ARBITER.

CONSIDERANTI *mihi omnia, æquáque lance trutinanti ſingula, quæ hactenus à quoquam veſtrûm dicta & in medium prolata fuerunt; nullum poteſt amplius contingere dubium, quis tandem Regio præ reliquis dignandus ſit nomine: Tanta equidem ſunt veſtra in Hominem merita & ſervitia; ut quotquot eſtis, æterna laude & memoria evehi debeatis ad poſteros, nihilominus, ut ſunt cæleſtium planetarum ſingulorum ſuæ utilitates; ita ut unus alteri ordine præeat, ſic quoque ex vobis mihi videtur præcipuus* REGIA CORONA *decorandus: Tu Vitule magna & egregia in initio hujus diſceptationis protuliſti beneficia, quæ in hominem collocas; nec minora, tu Ovis: Anſercule tu quoque inter Heroas nomen obtines, qui omnibus modis humano generi prodeſſe niteris: Oſtrea, & tibi ſunt dotes ampliſſimæ; non minus præconio digniſſimæ: Nullus te deſpexerit, licet parva ſis Apicula: tu enim dulcedinis ut es mater; ſic telum generandi doloris promptiſſimum geris: Quis te non admiretur pro merito tuo Bombyx tenerri-*

me, quod tantillus tanta dona miniſtres homini: Imò & tu linum repleviſti mundun tuis muneribus, unde laus nunquam interitura te manebit. Tu verò MERCURI*, ille es, quem maximè admiror, ſuſpicio, & digniſſimum ex omnibus pronuncio. Tua, inquam, merita ſunt adeo notoria, totique orbi neceſſaria, ut te* REGEM *jure & neceſſitate ductus, quin conſtituam, omittere nō poſſim: Tu tuos competitores dignitate præeminentia & honore tantum antecellis, quantum ſol cæteras planetas lumine. In te uno omnium merita compenſantur: In te ſingulorum officia acquieſcunt: In te dotes cunctorum conveniunt.* Tu es orbis miraculum, ſplendor & lumen. Tu es terræ decus, gloria & columen: Tu es mundi aſylum, anchora & vinculum. Poſt animam humanam nihil te creatum nobilius, præclarius aut utilius. Quod igitur virtus tua peperit, officium meruit & ſervitium poſtulat; En accipe Brabeion, DIADEMA REGIUM, ut imposterum REX MUNDANORUM OMMIUM SUB HOMINE EXISTENTIUM dici, pronunciari & proclamari debeas, volentibus, aut invitis omnibus. *Quo dicto, ex auro Coronam, quam abſcondebat ſub pallio, protulit, inque* MERCURII*, procumbentis in genua, caput impoſuit.*

Atque

Atque ſic, licet omnium in hoc cœtu præſentium corda livore perfuſa ſint erga eum, quem vilißimum cenſebant, Dominum ac Regem ſuum jam factum, tamen cum Arbitri ſententia ſemel lata non potuerit in dubium revocari, ſinguli eò, unde acceſſerant, regreßi MERCURIUM *Regem factum terris omnibus dictitârunt. Arbiter quoque dimiſſo conventu ſeſe domum ſuam recepit: Deo omnium bonorum largitori ſit gloria in æternum,*

Amen.

FINIS.

[illegible]

[illegible]